Digitized by Google

6
19-b
90

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
10

Digitized by Google

[redacted]

6.-19.b.90



Gravé par Brunet

JACOBI
VANIERII
E SOCIETATE JESU
SACERDOTIS,
PRÆDIUM RUSTICUM.

NOVA EDITIO AUCTIOR ET EMENDATIOR.

PARISIIS,

Apud Marcum Bordelet, Bibliopolam, è regione Collegii Jeſuitarum, viâ Jacobæâ, ſub Signo Sancti Ignatii.

M. DCC. XLVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBL · DOM · PROF · ROM · IHS

ILLISTRISSIMO VIRO

NICOLAO LAMONIO

BAVILLÆO.

VIDES quàm obſequentem me habeas, Vir Illuſtriſſime, quì Muſas, atque intermiſſam agrorum culturam non reſumam modò, quod ſuaſeras; ſed opus aggrediar, quod univerſam ferè ruris diſciplinam complectitur: id enim oneris impoſui mihi, ut Prædium Ruſticum conficerem ſexdecim libris, quorum argumenta ſubjicio, ut fide tibi ſemel obligatâ, nulla me negotia, nullus ſcribendi labor à ſuſcepto conſilio deterrere deinceps poſſint. Primo quidem libro docebo quomodò fundum emi, ac reparari oporteat. Deinde ſervorum delectum, & varia ſingulorum in excolendis agris miniſteria perſequar. Tertiò laborioſiſſimum hominis in agricultura ſocium Bovem aliaſque informabo pecudes, quæ vel in conſortium operum vel reditûs & cuſtodiæ cauſâ

nutriuntur. Et quoniam empto prædio, comparatiſque ad illius culturam ſervis, & pecoribus, ſtatim conſerendum cenſent Ruſticarum rerum periti, colendarum arborum rationem tradam in quinto & ſexto libro. In ſeptimo & octavo annuas agrorum operas ſummatim ſequar, ut quid quâque tempeſtate ruri peragendum ſit, uno velut intuitu conſpiciatur. Tum plenius tractandas aggrediar delicatiores ruſticationis partes, hortos ſcilicet, vites, optimamque vini conficiendi rationem. Adjiciam denique Aves Chortales, Columbas, Apes, & Piſcinam; quæ ad rem familiarem non minùs quàm ad villæ ſplendorem pertinent. Ultimum domeſtico Lepori librum deſtinaveram, ut ruſticis conviviis eas quoque adderem epulas non pecuniâ, non venantum ſudore partas: ſed intellexi placere tibi ut venationis voluptati magis indulgerem, neque Leporem unum, ſed ſylveſtrem quoque Capream, Aprum, Damam, aliaſque fulvas (ut vocant) Feras meo vivario includerem. Cujus argumenti amœnitatem eò libentiùs ſequar, quòd me à propoſito non receſſurum puto, ſi traditâ totius agriculturæ arte, id demum appoſuero quod magnoperè invitet, rurique quàm diutiſſimè teneat dominos, quorum præſentia in operibus ruſticis tantùm pollet, ut nullo terra lætamine pinguior fiat quàm ſi frequentibus domini veſtigiis proculcetur.

Habes, Vir Illuſtriſſime, *ſeriem totius operis, quod confidentiùs exequar, ſi tuo judicio comprobatum intelligam. Is enim es quem artium omnium ac ſcientiarum non patronum modò, ſed & magiſtrum veneramur;*

Jamque apud oratores conſtat, non habere illos unde meliora eloquentiæ documenta ſumant, quàm ſi te dicentem in publicis Provinciæ Comitiis audierint. Quantùm in pertractandis negotiis, rebuſque publicis adminiſtrandis proficiunt qui te propiùs intuentur, declaravit æquiſſimus rerum æſtimator Ludovicus Magnus, qui Curſonium filium tuum præfecturâ donavit ampliſſimâ, non tam perpendens ejus annos, quàm exemplorum tuorum vim, præclaramque illius indolem fauſtis ſub penetralibus enutritam. Et quanquàm uſus togæ tranquillior, te à gerendis bellis amoverit, ubì tamen Provinciæ ſalus te ad arma capeſſenda compulit, perſpectâ animi tui magnitudine, reique bellicæ peritiâ, non longis experimentis, ſed mirâ ingenii ſagacitate partâ, exercitatiſſimi bellatores te, non conſiliorum modò, ſed & armorum Ducem ſequebantur. At ne cætera intempeſtivè commemorem, quanto mihi ad rem poëticam adjumento futurus es, jam probè novi ex frequentibus tuis litteris, iiſque uberioribus, quàm ab occupatiſſimo viro ſperare debueram: nec poſſum quin gratuler ipſe mihi, qui in Provinciâ repererim præſidium, quale Pariſiis habuere maximum Rapinus, Comirius, Ruæus, aliique celeberrimi Vates, quorum acuebat induſtriam Lamonius *pater tuus, Senatûs Pariſini Princeps Illuſtriſſimus, nec fortunarum magis, quam famæ arbiter. Tu apud illum in Muſarum quaſi domicilio educatus, & paternarum virtutum æmulator, ſtudia mea non adhortando tantùm, ſed erudiendo quoque promoves; caveſque conſiliis tuis, ne quid è manibus in publicam lucem*

elabi ſinam, quod tuo nomine indignum videri poſſit. Perge & depoſitâ bonitate quâ ſoles ad te adeuntes excipere, duram nunc primùm ſeveritatem adhibe; verſuſque quos ad te mitto liberè redargue. Quantùm enim alii tuâ apud Regem gratiâ ad honores & dignitates enituntur, tantùm ego in ſcribendo præſidium ſpero ab acutiſſima illa ingenii vi, quæ tibi non minùs apud litteratos quàm apud politicos commendationis affert.

Deditiſſimus
J. VANIERIUS,
è Societate JESU.

IN OBITUM R. P. JACOBI VANIERII, E SOCIETATE JESU.

ECLOGA.

DAPHNIS, TITYRUS, THYRSIS.

DAPHNIS.

RURIS amor patrii quid, Tityre, mollis in umbrâ
Argutos hilari meditaris arundine verſus?
Thyrſi, quid ore modos recinis? dum ripa Garumnæ
Ingemit, alterno feſtiva tripudia ſaltu
Ducitis! ah!... plectrum lacrymis aptate; coronas
Demite temporibus; ſubmittite triſtia lætis:
Fata tulêre... premunt fractam ſuſpiria vocem:
Eſt ſua vox lacrymis; lacrymæ ſine voce dolorem
Promite.

TITYRUS.

Quid gemitus? nùm ſparſa mapalia ruris

Vaſtat flamma furens? timidas ad ovile capellas
An lupus eripuit? nùm fulminis igne bidentes
Ablatas quereris? nùm ſæviit horrida grando
Maturam in Cererem? meſſes inopina Garumnæ
Obruit eluvies? tantos da noſcere luctus.

DAPHNIS.

Non ſibi Daphnis oves, pueri, lacrymatur ademptas;
Soſpes ab igne domus; ſegetum ſpes certa colonos
Exhilarat; Mopſum, heu! Paſtores, fata tulerunt.

THYRSIS.

Proh dolor! occubuit Mopſus, tutela coloni,
Gentis honos, pagi columen! ſpes, gloria ruris
Ergo jacent tumulo.

TITYRUS.

Potuit mors atra ſub umbris
Præcipitare dies Mopſi? nec Apollinis iram
Atropos extimuit? divini, Mopſe, Maronis
Æmule, tu noſtræ ſummum decus urbis, alumne
Pieridum, Phœbi comes inclyte, fata fuerunt
Ut caderes! ergò ſupereſt nox omnibus una.

DAPHNIS.

Qui pleno libatis aquas Parnaſſidis ore,
Dicite funereos, Mopſi præconia, verſus.

THYRSIS.

Sylva gemat: noſtro doleant hîc cuncta dolore,
Ipſaque ſaxa pias referant ſuper aſtra querelas.

TITYRUS.

TITYRUS.

Aonidum ſociata cohors, ſi triſtia tangunt
Fata deas, ſi carmen amant, è pectore mœſtos
Effundent gemitus: flebunt ſacra culmina Mopſum.

DAPHNIS.

Incipe, Thyrſi; prior Mopſum lacrymabere verſu;
Bucolico docuit Mopſus te ludere plectro:
Tu, noſtros modulis forſan ſolabere luctus,
Carmina ſi tantas poſſint depellere curas.

THYRSIS.

Sum numeris impar, niſi Delius annuat auſis.

DAPHNIS.

Annuet; hic vatum Deus eſt; dabit apta dolori
Carmina; dum canimus Mopſum, celebratur Apollo.

THYRSIS

Quantùm Romuleo ſe Mantua jactat olore;
Gallia ſe tantùm Mopſo jactabat alumno,
Et tamen interiit! crudelia numina tantùm
Quæ ſunt auſa ſcelus! Lacheſin feralia nentem
Stamina non potuit Phœbeo vincere cantu,
Carmine qui potuit tenebroſum Acheronta movere.

TITYRUS.

Proh Superi! Mopſus periit! neque Numinis iram
Avertit pietas; puræ neque candida mentis

Simplicitas, neque recta fides, & caſtus avitæ
Relligionis amor, neque virtus inſcia fuci;
Aurea nec morum ſpecies, & blanda ſenectus;
Nec potuit probitas, culti neque gratia verſus
Inviſas retinere colos, & flectere Parcas?

DAPHNIS.

Heu! memori redeunt animo prænuncia luctûs
Omina: funereo crocitarunt gutture corvi:
Non ſolitis turtur fidos deflevit amores
Planctibus; agricolæ medio ſub veſpere noſtras
Dixerunt ululaſſe canes; in culmine bubo
Incubuit ferale dolens.

THYRSIS.

Quid Laurea vati
Profuit? ecce, uno qui tactus ruris amore,
Pindi Sceptra tenens, velatus tempora lauro,
Ruricolis præcepta dedit malè cognita priſcis
Vatibus, ecce perit! compto ſed carmine vivet,
Vivet, & ad Seros venient mellita nepotes
Carmina quæ cecinit; vivet; poſt funera ſacris
Muſarum faſtis inſcribet fama poëtam.

TITYRUS.

Ante Pyrenæum caput ipſe Garumna reviſet,
Tectoſagumve ſuis urbem non alluet undis:
Ante ſuo Zephirus nodoſas flamine quercus
Diruet, aut Boreas ſpirabit amabile frigus;
Ante leves piſcis torquebit in æthere pinnas,
Aut volucres rapidis ſulcabunt æquora pennis,

Quam teneros Mopſi verſus obliteret ætas.

DAPHNIS.

Umbra minus pecori, minus agnis læta placebant
Pratula: melliferis apibus neque florea tantum
Serta placent: feſſis neque dulcior unda juvencis,
Quam Mopſi verſus avido placuere colono.

THYRSIS.

Idalias volucres quantâ dulcedine cantûs
Edidit! alituum mores quâ voce locutus!
Quàm blando verſu! primæ proluſio muſæ
Eximiæ fuit artis opus; palmamque tuliſſet
Judice Virgilio, noſtris ſi priſca redirent
Sæcula temporibus, vel Apollinis aurea Mopſus
Tempora vixiſſet.

TITYRUS.

Permeſſidos ebrius undâ
Ingenii nova deproperat miracula: Pindi
Regia miratur, decernit præmia; Mopſi
Laudibus urbs omnis reſonat: vivum ære * Menalcas
Et vatum cultor, decus & Parnaſſidis aulæ,
Vatibus adſcribit quos Gallia parturit, ævo
Judicii monumenta ſui miranda relinquens.

* D. Titon du Tillet.

DAPHNIS.

Tollite, Francigenæ vates, ſuper aſtra Menalcam,
Pieridum ſi tangit honor, ſi gloria vatum.

THYRSIS.

Ruris amatores, veſtrum ſuper aſtra poëtam
Tollite: quæ cecinit, vos quantum *Prædia* ditant!

TITYRUS.

Germina nunc olerum vates concludit in horto;
Et pigras ſenſim limphâ juvat ubere plantas.
Inde ſecutus agros naſcentem graminis herbam
Luxuriare jubet.

DAPHNIS.

Nunc ſtagna virentia piſci
Rure parat: ſocias nunc jungit vitibus ulmos;
Edocet & nimiæ reſecare tenellula vitis
Brachia falciculo, ſuccumque fovere Lyæi.

THYRSIS.

Singula commemorat, nihil inſcius: explicat artem
Quâ poſſis curare greges, terramque ſativis
Arboribus decorare; boves ſubmittere; ramos
Falciferâ reſecare manu; pecorique cavere
Arboribuſque luem, Cereremque repoſcere terris.

TITYRUS.

Chortalem pingit volucrem; nec mellea verſu
Dona ſilet; deſcribit apum primordia, mores;
Admonet & timidos clauſtris recludere cervos.

DAPHNIS.

Mellifluo vatis cantu natura movetur:
Olli bruta favent; ſolitam truculentior iram

Ponit aper, rabiemque leo: lepus ipſe timorem
Exuit, & modulos arrectâ combibit aure.

THYRSIS.

Alter & Amphion commutat arundine ſaxa;
Et dociles ſylvas fidibus trahit Orpheus alter:
Thebanam citiùs ſtruxiſſet verſibus urbem;
Indomitas meliùs leniſſet carmine tygres.

TITYRUS.

Vidimus ah! quotiès, tenui dum pectine molles
Tentabat citharæ nervos ſub tegmine fagi,
Tellurem pulſare leves faunoſque, feraſque;
Naïadas in fluviis, Muſas Helicone, Napæas
Saltibus, alterno doctos pede fingere motus.

DAPHNIS.

Vidimus æquoream ſenſim colludere gentem;
Nunc caudis agitare lacum, nunc alite ſaltu
E mediis præceps tentare emergere lymphis.

THYRSIS.

Ludere ſubſultim pratis, citharæque choream
Lene pecus miſcere juvat; balatibus agni
Luxuriant, plauduntque levi per gramina ſaltu.
Pavus inexpertis inflatus laudibus, alas
In varios, faſtu revolubilis, explicat orbes;
Altior incedit gallus; gallina tumeſcit:
Terram ſcalpit anas, tremulo quin ſtridulus anſer

Obſtrepit alarum motu : ceſſantque volucres
Alterno vernare modo ; paſtoris avenæ
Lenior arridet Zephyrus , garritibus ægrè
Dum volvit querulis illimes rivulus undas.

DAPHNIS.

Nec tantùm lauro Mopſus Parnaſſide cingi
Carminibus meruit : Phœbeæ induſtrius arti
Erudit ætatem teneram , indigitatque receſſus
Aonii montis : ſi quis per devia rupis
Culmina tentat iter, dextram protendit amicè
Caſtalidumque ſacros latices de fonte propinat.

THYRSIS.

Uberiora tui monumenta laboris adeſſent
Si non, Mopſe, tuos Erebi rapuiſſet ad umbras
Invida Parca dies, majoris & ipſe dediſſes
Molis opus, latiæ modulamina ſingula linguæ.

TITYRUS.

Impia mors ! ah ! Parca ferox ! crudelia fata !
Sic latiæ præruptus honos & gloria linguæ !

DAPHNIS.

Luſtrorum quatuor lux abſtulit una labores ;
Verborumque perit doctis pretioſa ſupellex.

THYRSIS.

Falleris ; immemori * Corydon è mente receſſit ?
Flos vatum Corydon noſter, qui prima Minervæ

* R. P. Theodorus Lombard.

Dona tulit totiès; quo nunc ſedet ipſe * Lyceo.

* Toloſano.

TITYRUS.

Collige relliquias Mopſi; citus ede volumen;
Hæc, Corydon, te curà manet; tot ſcripta tenebris
Erue ſplendidius; majori Gallia plauſu
Excipiet: nomenque tuum cum nomine Mopſi
Ibit ad extremos, ſummâ cum laude, nepotes.

DAPHNIS.

Vatis adorandi celebres ignoſcite Manes;
Parcite, ſi tenui præconia diximus ore:
Quos flens Virgilius fundebat Daphnide rapto,
Hos ſimili in luctu modulos heu! Muſa negavit;
Attamen hoc liceat tumulo ſuperaddere carmen.

EPITAPHIUM.

Hic Mopſus jacet Auſoniâ celeberrimus arte,
Quem peperiſſe, tibi, Blittera, multus honos.
Artis Apollineæ ſolers arcana retexit,
Et pleno cecinit carmine ruris opes:

Scripſit amicitiæ leges & opuſcula; verſus
Eſſe, Maro, velles, eſſe, Tibulle, tuos.

FINIS.

Cecinit ISAAC-JOANNES BADON,
Societatis JESU.





PRÆDII RUSTICI

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO E...

LIBER I.

Quomodo fundum emi ac reparari oporteat.

ME quoque Parnaſſi per lubrica culmina raptat
Laudis amor : ſtudium ſequar inſanabile Vates,
Auſus non operam non fomidare Poëtæ
Nomen, adoratum quondam, nunc pene procaci
Monſtratum digito, ſeram vel denique famam
Non audituro cineri poſt fata relinquens.
Haud tamen arma meis malè congrua moribus auſim
Imbelli tractare manu : dat maximus amplam
Materiem Lodoix victo clariſſimus orbe :
Sed jam trita nimis laudum ſeges ; atque Poëtis
(Auſint cuncta licèt) vix tantum fingere, quantùm
Efficere huic promptum eſt : Herouin fabula veris
Vincitur hiſtoriis ; ſtupefactaque fama triumphis
Jam ſilet, & longo plauſus propè concidit uſu.
Nec tenui vacat in Socco, grandive Cothurno

Vel fletum populis, vel inanem extundere riſum;
Et mea cùm nullo doleat mens percita caſu,
Non gemitus ultro quæram, cauſaſque dolendi,
Triſtibus illacrymans Elegis; non quemque canino
Allatrans ſtudio Satyras ſectabor amaras.
Secreti tacitâ capior dulcedine ruris:
Quod ſpectare juvat, placuit deducere verſu:
Dulcis enim vetat ingratum ſentire laborem
Materies; & me, ſolers ſi fortè negabit
Ingenium, facient amor & natura Poëtam.
INVOCATIO. Vana Deûm ſimulachra Ceres cum Patre Lyæo
Cedite: fœcundat vero qui Numine terras,
Chriſtiadis colitur toto Deus unicus orbe.
Humanæ pater & Rector ſanctiſſime gentis,
Tu morbo procul & lethi formidine, ruris
Inter opes, hominem quondam melioribus ortum
Auſpiciis, blandos dederas ſine crimine Soles
Ducere, dum veteres ultro deponeret artus;
Et vitæ pertæſus, humum mutaret olympo.
Unius en! culpâ excidimus; pomumque nefaſtis
Morſibus abſumptum cunctis decuſſit honorem
Arboribus: non jam ſegetes injuſſa merumque,
Sed ſteriles Tribulos, & Gramen inutile tellus
Parturit; & læſi juvat ultrix Numinis iras.
Paremus taciti; luimuſque paterna volentes
Crimina; nec petimus natas ſine ſemine meſſes
Educet ut tellus, hominemque in prima reponas
Fœdera; ſed juſſo victum ſudore paranti
Ut faveas clemens, & quos felicior olim
Neſcierat Natura, juves nunc arte labores.
ARGUMENTUM TOTIUS OPERIS. Aggrediar, duce te, mores habituſque locorum
Explorare; ſuos partis accerſere fundis
Agricolas; curare greges, ſociosque laborum
Informare Boves; & agreſtibus atque ſativis

Arboribus veſtire ſolum : tum prata ſecutus
Et ſegetes, operaſque omnes quas annua ruri
Cura refert ; Olus, & Vites, Vinumque reſumam ;
Et conſtabit honos cultis ubi debitus agris,
Chortales addam volucres, mollemque Columbam.
Melliferas nec Apum cellas & regna ſilebo :
Æquoreo dein Stagna gregi, Leporique fugaci,
Et Capreæ, & timido ponam vivaria Cervo.

Lamonidûm decus & columen, quem publica rerum — DEDICATIO.
Cura tenet, tibi ne qua forent infecta, Colonis
Hanc quoque me dare cogis opem : tibi cætera debent
Agricolæ, duro tutas à milite fruges,
Et quæ vel medio regnarunt otia bello :
Te prohibente, ſuos uſu pejore ligones
Lethiferum nunquam conflavit Arator in enſem ;
Disjunxitque Boves, & lamentabile flenti
Uxori, & pueris opera imperfecta reliquit.
Hæreſis antiquos quanquam meditata furores
Vicino de monte viros in bella vocaret ;
Oppidaque armorum fremerent excita tumultu ;
Pax aluit ſegetes ; nec agreſtes ulla Colonos
Sollicitos habuit feſti quàm cura triumphi.

Hinc Regem juvat uſquè novis Provincia donis
Prodiga : namque tibi quid deneget illa petenti :
Si non obſequio, ſi non cedamus amori,
Vincimur eloquio ; teque hortatore volentes
Quidquid opum eſt bello dudum impertimur ; & urbes
Pro Patria, pro Rege, viris ſpoliamus & auro.
Quare agite agricolæ, duris & ut excita rebus
Adſit humus, mecum proprios expendite cultus.

Immenſos alii tractus, & vaſta requirant — QUÆ IN EMENDO FUNDO CONSIDERANDA SINT.
Prædia, centenis quæ vix ſubigantur aratris :
Cui placet utilitas & amœni gratia ruris,
Quo potiatur emat, non unde gravetur ; agrorum

Non faciem tantùm, ſed aquas obſervet & auram;
Explorans non multiplici quàm ludicra jactu
Lympha fluat, ſed quàm facilis quàm largior hortum
Irriget, ac dites latè fundatur in agros.

Aër. Sit clemens cœlum, molleſque frequentiùs auras
Quàm ventos habeat: pluviales pinguis ad Auſtros
Situs. Pendeat exiguè tellus, depreſſior imâ
Non convalle latens, non montibus aſpera nudis;
Nec torpentis aquæ diris infeſta venenis.

Arduus ad Boream mons tempeſtatibus horret;
Et Cererem planis imber ſuffocat in agris;
Villaque demiſſis in vallibus abdita, cæli
Proſpectu caret, obruitur ſtagnantibus undis;
Atque frequens vapor in nubem concretus aquoſam
Spicatæ ſegeti nocet, & florentibus uvis.

Non cupidè viſumque ſemel mercabere fundum;
Fertilitas. Sæpe ſoli facies quoque fallit: amicus agerque,
Quos vis eſſe tuos, longo noſcantur ab uſu.
Quæ bona ſunt propriâque valent virtute, placebunt
Uſquè magis. Raræ fruges, Virgultaque paſſim
Nec procera ſatis, neque ſucco plena, docebunt
Salubritas. Si quod ineſt terræ vitium; ſed tabida cæli
Si fuerit plaga, ſigna dabunt manifeſta ſenectus
Rarior, informi macies pallorque colentum
Ore ſedens, oculorum acies offenſa, laborans
Pectus, & infirmo ſegnes in corpore mentes.

Aquæ. Lenè fluens cælo conſentiat unda ſalubri:
Optima quæ ſaxis præceps aqua volvitur, illi
Proxima quæ puteis facili deducitur hauſtu,
Tertia ciſternæ, pigro teterrima lapſu
Quæ tacitis irrepit agris: immota paluſtres
Si jaceat cannas inter, det pocula tantùm
Queis præſens ſuprema deeſt in fata venenum.

Non odor in lymphis, ut in aëre, non ſapor ullus

Quæritur : Anguillis ſi quæ ſcatet, atque bibentum
Pallida liventi non inficit ora colore,
Vaſa nec obducit cruſtis, neque lenta legumen
Excoquit, & facilis ſubjectos concipit ignes;
Nec longum poſt dein tempus nativa reſumit
Frigora; qualis erit vulgò quæ montibus altis
Dejicitur, levis & curſus tenuata per ipſos;
Corporis hæc recreat vires, acuitque ſalubri
Ingenium potu, ductis arentia rivis
Temperat, & lætis fœcundat meſſibus arva.

Ne placeant procul accitis quæ ſplendida lymphis *Ornamenta.*
Sæpe gravant Dominos operoſo prædia cultu.
Naturæ non artis ama decus: elige villam
Quam nemora & fontes, longoque virentia tractu
Prata, ſituſque loci, non quam labor improbus ornet;
Quæque ſuos luxu fructus abſumat inani:
Ne qui debuerat te paſcere fundus, alatur
Ipſe tuis opibus: paleas, olearia vaſa, *Reditus.*
Iliceoſque cados ſpectans & torcula, villæ
Conjiciat reditus, neque prædia finibus emptor
Cenſeat, agrorum ſed fertilitate, merique
Et Cereris modios numeret, non jugera campi.

Nec modò ruris opes, ſed vectigalia norit;
Et ſciat expenſis ſuperet quæ copia factis.
Cuncta minutatim quærens, interroget ipſos
Agricolas; videat ſaturis an læta Juvencis
Prata virent; domibuſne trabes, urendaque ligna
Fumoſis dat ſylva focis; è fonte perenni
Num riguas bibit hortus aquas, vel hiantibus hauſtos
E puteis ſitulæ fundunt aut antlia rivos:
An facilis via, quâ fruges vectentur in urbem; *Via.*
Quæ Dominum ad villam ſi non invitet, acerbis
Nec ſalebris ſaltem neque cœno abſterreat alto.

Ne levia attendas, ut matutinus euntem

An radiis oculos Sol obliquare jubebit
Ædificia. Vel reducem labente die; num ſimplice ritu
Structa domus, craſſis dum mœnibus arceat æſtum
Frigoraque, & tenui non irreparabilis ære,
Laxior, ac veteri quoque majeſtate ſuperba;
Belligeram ſimilet foſſis & turribus arcem.
Si domus eſt fundo major; potiere prioris
Stultitiâ Domini; modò non gravioribus ædes
Impenſis tueare: frequens rus namque reviſes;
Nobilis excipiat caros ſi villa ſodales.
Nec refert quòd terra ſitu ſordeſcit inerti;
Horrida neglecto ſqualet quòd Vinea cultu,
Lymphaque ſylveſtres fluit infœcunda per hortos;
Omnia quæ facili reparat labor annuus arte.
Hunc eme quem modicis meliorem ſumptibus agrum
Agri feracis indicia. Efficias; ubi cuncta vigent, ubi grandia felix
Progenerat virgulta ſolum, folioque tenaci
Luxurians hyemi vix arbor cedit, & altâ
Sub nive ſervat adhuc rami frondentis honorem;
Pinguis ubi ſe terra brevi reparata quiete
Reſtituit, paſſimque ſinus fœcunda virentes
Graminibus tegit injuſſis, faciliſque moveri
Nec pluvium tenet humorem, neque finditur æſtu;
Sed ne prima ſoli facies imponat; ab alto
Erue: nam veluti, quibus eſt obnoxia, morbos
Ægra parens cum lacte ſuis tranſmittit alumnis;
Sic humus ingratos non nunquam expirat odores,
Quem referunt triſti fruges & poma ſapore.
Prædia inter ſe diſtantia. Prædia nec ventis nec tempeſtatibus iiſdem
Subdere plura velim: fundos ſi jungere pulchrum;
Ruſtica damnosè caſu res omnis ab uno
Pendet; & interdum Domini variare, novoque
Diſſita ſub cælo gaudent loca viſere, tritas
Ire nec uſque vias, & eoſdem cernere colles;

Elige vicinos magnis aut urbibus agros
Aut grandi pago, vel (quò ratis ambulet) amni: VICINITAS URBIS.
Ditat enim villam facilis vectura; colendo
Nec deſunt operæ ruri, nec agreſtibus armis *Fluminis.*
Artifices, nec prompta tuis obſonia menſis,
Nec Medicus, tibi qui ſubitis in caſibus ægro
Præſentem niſi præſtet opem, ſolantia ſaltem
Verba ferat: ſic urbe tamen diſtabit ab alta
Fundus, ut hoſpitio non infeſtere perenni.
Inprimis fugienda tibi via lata, Cohortes *Viæ militaris.*
Quæ ſolet armigeras aliò deducere: nubes
Ignibus horrificis & grandine fœta minorem
Quàm Peditum globus aut acies frænata Colonis
Pulvereâ fert nube metum: non Villica, Milvo
Circumeunte, ſuos revocat magis anxia pullos,
Nec Paſtor veniente Lupo gregibuſque ſibique
Plura timet, quàm cùm tremulos procul audit Equorum
Hinnitus; longamque videt fulgere micanti
Ære viam: prædator enim per devia Miles
Obliquans iter, occultis vel fraudibus auſert
Obvia quæque rapax, aut vi graſſatur apertâ.
Villicus arva colens, ab aratro avulſus, acerbis
Cogitur imperiis laſſæ comes ire Cohorti;
Auxiliumque viæ, curru ſubjungere Tauros.
Amiſſum flent ſponſa virum natique parentem;
Quem credunt in bella rapi, quem tela gerentem
Pro ſtimulo, fingunt animis trepidantibus ire,
Rura reviſurum nunquam dulceſque penates.
Te quoque vicini juvat explorare Coloni *De bono maloque vicino.*
Et ſtudia & mores: neque enim eſt ſapientis iniquam
Sponte parare ſibi ſortem, liteſque perennes
Vicino cum fure ſuis tranſmittere natis:
Nam rivos modò ſubductos ſitientibus herbis,
Aggere nunc contrà facto demerſa videbis.

Fluctibus arva, novo nunc pervia tramite, fructu
Vel ſpoliata ſuo, vel decreſcentia roſis
Finibus, & ſaxo quod dividit arva revulſo.
Nunc impune terunt alieni prata Juvenci;
Et tuus incertæ ſi quid Grex attigit herbæ;
Ambiguo ſi tollis agri de margine Quercum;
Lis oritur, ſua quam Judex in commoda ducit,
Atque tuos habet ante Greges, quàm paſcua dicto
Jure tibi cedant; inimicaque meſſibus Ilex
Utiliùs ſtaret; tanto victoria conſtat.
  Prætereo raptos furtim de Vite racemos,
Avulſas cum fronde nuces, & poma, vagiſque
Abductos clam fraude malâ cum matribus Agnos;
Atque Bovem; qui ſi pereat, vicinia furti
Sit ſuſpecta tibi: neque enim ſolet ille remotos
Errabunda procùl veſtigia ferre per agros.
  Quàm miſeros condes ſoles hæc inter: ubique
Dulcis amicitia eſt; ſed fidus rure ſodalis
Utilis inprimis; ut tædia gratus amico
Diluat alloquio, convivia mutua curet,
Auxiliumque ferat bonus accipiatque viciſſim.
Quæ tibi ſi ruri deerint; animumque vacantem
Et volucres tantùm paſcant, tacitique receſſus;
Nec niſi cùm ſtupidis tibi ſint commercia ſervis,
Urbanos repetes neglecto rure penates.
Atqui non alio tantùm lætamine tellus
Quantùm oculo Domini gaudet; modò rure laborum
Utilitas placeat, non deſidioſa voluptas,
Otiaque ad gelidos fontes, & ad arboris umbram.

REPARATIO. EMPTI PRÆDII.

  Idcirco quantùm præſens fortuna vel agri
Nobilitas patitur, tibi commodiora domorum
Extrue membra: dabis tamen otia prima ferendis
Arboribus, poſtrema domo ſtabuliſque parandis.
  Incipe, & Agricolæ quod inertia longa prioris

Perdidit, in melius felici corrige curâ.
Namque parens hominum, æternam ſortita juventam;
Non ſenio tellus, non deficit ubere partu;
Sed facili vires, & fertilitatis honorem
Reſtituit cultu: nos contrà cum ſemel annis
Invaſit nullâ reparabilis arte ſenectus,
In pejus ruimus; nec habet natura regreſſum.
Expediendus erit ſaxis & Gramine campus
Et Filice & Junco: Filicem ſatione Fabarum
Interimes; Juncos vinces & Gramen aratro:
Sed lapides manibus remove, medioſque per agros
Altiùs accumula, vel grandibus obrue foſſis.
Sæpe tamen cupidos humus exoſſata Colonos
Decipit; amotis ſeu jam durata lapillis
Parciùs enatam ſuccos immittat in herbam;
Sive repercutiens Solem, radicibus imis
Calculus auxilio eſt, & iniquos temperat æſtus.
Horrida ſi Muſco vel inerti obducta ſenectæ
Prata ſitu, fœnum pariunt ignobile; ſtercus
Ingere vel cineres: quæ ſi cui pigra videntur
Auxilia; effoſſum frumentis exaret agrum.
Atque novis ne fortè ſoli prior impetus obſit
Meſſibus; herboſâ nimias farragine vires
Pubentique Fabâ, Napoque abſumat edaci.
Prædia ſi fuerint nimiùm nemoroſa, revulſis
Arboribus, glandem pingui mutabis ariſtâ:
Namque habile eſt ſegeti quod frumentaria, cæſis
Ilicibus, ſylveſtre ſolum redigetur in arva.
Aſt ubi deficiunt ſylvæ; Quercumque virentem
Et Platanum pones, ſeraſque nepotibus Ulmos.
Reſtitues Oleas, ſi quas dejecerit Auſter;
Nec ſteriles vel qui pariunt ignobile pomum
Degeneres patiere ſolo conſiſtere truncos;
Vindice ſed ferro tolles; aut brachia cædens;

Elapidandi agri.

Renovanda prata.

Reſtituendæ arbores.

Inſitione feros coges miteſcere fructus.

Siccandæ paludes.

Sicubi ſtagnanti ſeges emoriatur ab imbre ;
Abſorbere ſolum neque poſſit quidquid aquarum
Accipiet, neque vicinos effundere in amnes ;
Affer opem, & medio largas duc æquore foſſas.
Occultos, ubi terra fluit ſabuloſa, canales
Obcæcabis agris ; neu præcludatur aquarum
Exitus illapſuſque, ſub os utrumque refixis,
Pilarum vice, ponticulos imitabere ſaxis.
O ! tibi torpentes ſi deſiccare paludes
Fata darent, cæloque novas oſtendere terras !
Semina reſtituet quanto proh ! fœnore campus
Et limo ſatur, & longo requietus ab ævo.
En Bliteram propter quàm pinguia findit Arator
Æquora vomeribus quæ navibus antè ſecabat.
1. Namque ſuâ totum quondam gens Romula mundum
Sub ditione tenens, ne quid deperderet agri,
Quo nullus toto melior ſibi paruit orbe ;
Fecit iter pigræ longo ſub monte paludi :
Grande opus, emenſis exhinc nec inutile ſeclis.

Ubi de Alveo Regio.

Altiùs ignoto manabant tramite lymphæ ;
Oceanum ſed utrumque novo qui fœdere jungit
Alveus, exciſi per ſaxea viſcera montis
Dum foditur, patuit ductus ; priſcoſque labores
Oppoſuit noſtris Romana potentia cœptis,
Francigenas certans hac ſaltem vincere laude :
Artificum ſuperata manu ſed Roma, paluſtres
Ad mare vicinum duxit cum flumine Ranas ;
Gallia dum gemino faciens commercia ponto,

1. *Romani non procul à Blitera juxta vicum, cui à Dei monte nomen eſt, paludem exſiccarunt, eundemque aquis traducendis perforarunt montem, quem deinde Riquetus, immortalis memoriæ vir, Regii Alvei autor, effodi juſſit, navibus ſub ipſa humo iter facturus.*

2. Ignotos ratibus calles tellure ſub ima
Effodit; & longo ſuſpenſis fornice lymphis
Quæ medium non inde procùl per inane volabant,
Icariam viſæ naves timuiſſe ruinam,
Nunc ſub humo merſæ ſtygii nigra verrere Ditis
Stagna putant: ſed mox cùm ſubterranea remis
Æquora ſulcarunt, altas ubi Blittera turres
Atque ſuos oculis aperit mirantibus agros;
Elyſium, loca quæ fortunatiſſima veſtit
Purpureâ Sol luce, ſibi ſpectare videntur.
At neque vel cæli facies vel gratia ruris
Dulcè movent mirâ captas formidine puppes:
Terribili nam cum ſonitu ſublimis ab alto
Labitur unda jugo; celſas quo more per Alpes
Auctior imbre ruit ſaxa inter inhoſpita torrens.
Stant in præcipiti naves, quas lapſus aquarum
Multiſonus ſubito quaſſas horrore moratur.
Abruptis tamen unde locis vix ante Capellæ
Deſiliere leves, operum molimine grandi,
Perque vices varias ſtratis æqualiter undis,
Deſcenſus habet hinc faciles oneraria navis.
Hæc tua laus, Riquete; ſuo tibi Blittera civi
Divitias urbiſque decus, tibi Gallia debet
Quo nihil ad Regni ſplendorem grandius, uſu
Quo nihil uberius. Mutato flumina curſu
Juſſa novas intrare vias, diruptaque ſaxa
Alcidem vetuere mori. Vicere labores
Herculeos quæ tu, per prodigioſa locorum
Intervalla, mari gemino commercia præbes.

Et de Riqueto ejus auctore.

2. *Inter alia* Regii *Alvei miracula, tria in primis ſtupenda quæ ibi memorantur non longis occurrunt intervallis. Primò quidem tranſverſum fluvium impoſitis pontibus tranſmittunt Alvei lymphæ. Montem deinde perforatum penetrant. Molibus denique laboris eximii retinentur aquæ præcipites, ut facilem è monte deſcenſum habeant onerariæ naves.*

Magnæ mentis opus! quòd, ſi mortalia cures;
Tu quoque nunc cælo videas miratus ab alto,
Ni foret in terris oculos quo paſcere mavis
Lamonia de matre Nepos, cui magna parantur
Virtutum documenta domi; ſeu clara Parentis
Aut Patrui inſiſtat veſtigia; Martia quondam
Seu galea aut Themidis ſacros premat infula crines.

Aqua. Arida nunc riguis ubi fontibus arva carebunt;
Signaque deprendes lymphæ manifeſta latentis;
Gaudentes cælo latices erumpere, terris
Erue; at indiciis ne decipiare doloſis,
Manè plagam cæli Phœbo naſcente rubentem
Pronus humi ſpeculare: levem conſurgere nubem
Si videas, tenueſque ſolo ſe tollere fumos,
Lympha latet: nova ſigna dabunt & Muſcus aquoſi
Ruris amans, Culicumque globus revolutus in orbem
Deſuper, & madidâ gaudens tellure Conyſa,
Et Junci, & Salices, & arundiferæ Calaminthæ;
Et dulci quotquot frutices humore creantur.

(Ubi de aquarumſcrutatoribus.) Talibus indiciis, & non interprete virgâ
Flexibili, rimatur aquas, qui judice fontes
Quos oculo novit, mirâ feliciter arte
Prædicat inventos; quaſi fons occultus in agro
Curvatum valeat Coryli deflectere ramum,
Altus aquis nec poſſit idem torrentibus amnis.

Sic curvis olim baculis emenſus Olympum
Augur aves Romæ ſpectans, quæ mente ſagaci
Viderat, ex volucrum monitu ventura canebat;
Plus avibus quàm conſiliis credente popello.

Me præſente ſuam nuper jactantior artem
In cælum cum ferret aquæ ſcrutator & auri;
Ac rudibus rem pene viris ſuaderet, avarâ
Spe lucri faciente fidem; fruticante ſub herba
Quem reperit nummum, ſub eodem gramine rurſus

Miranti

Miranti ſimilis coram depono; manuque
Inflectente volens, non per ſe vergere ramum,
Errantes oculos aliò dum conjicit, aurum
Clam tollo: Corylum rurſus movet ille, manuſque
Continet immotas; & virgam *cuncta trahentis*
Demonſtrat flecti deorſum vi ſolius auri.
Atqui aurum nullum eſt, aio: riſere repertos
Fraude dolos; quos ille fugâ tacitoque pudore
Confeſſus, tamen auriferam non abdicat artem.

Indiciis quæ multa dedi, niſi credat aquarum
Indagator, humum fodiat; puteoque cavato
Ardentes oleo lychnos, aut vellera lanæ
Vel crudos lateres, inverſaque vaſa reponat
Intus; & anguſtam multo tegat aſſere foſſam.
Si videt extinctas conſumptâ nocte lucernas,
Æraque concepto ſudore madentia, lanam
Humidulam, & lateres putri tellure ſolutos;
Quærat aquas, & ſi quid adhuc dubitaverit, ignes
Admoveat: nam ſi nebuloſos humida fumos
Eructabit humus, ſuberit fons largus aquarum;
Si tamen hybemo non inſidet humor ab imbre.

Jam terræ genus inſpiciat: cretoſa liquores
Ingratos dabit & tenues, nigriorque ſaporis
Egregii lympham venâ ſtillabit egenâ.
Exiles, ſed præcipuos dulcedine fontes
Glarea promittit: rubra inter ſaxa repertis
Nulla fides; occulta per intervenia rurſus
Dilapſi fugiunt, & ſpem fruſtrantur inanem.]
Humor ab illimi qui defæcatur arena
Utilior ſtomacho fluet, uberiorque: ſalubres
E collis radice, graves de pinguibus arvis
Proſiliunt latices: ſed copia major aquarum *De origine fontium.*
Præcipiteſque cadunt altis de montibus amnes.
Seu vacuis intus ſpatiis, victæque tepenti

Sole nives, pluviique imbres cogantur: aquarum
Quo velut hoſpitio fontes & flumina manant.
Seu pelagi terras ambit quæ lympha jacentes,
Occultis fluat uſque viis mare ſubter & agros;
Atque undam premat unda gravis, fluctumque propellat
Fluctus, & occulto juga trudat in ardua ductu.
Humor ut in pannos ſurſum defertur; ut alto
Fons è monte cadens plumboque receptus, in auras
Emicat; & quantùm primo caput extulit ortu
Monte ſuper, tantùm attollens ſe valle ſub ima
Profilit, & rapido vacuum petit aëra jactu.
Seu poſito velut igne, meri florumque calentum
Spiritus ad coſtas hæret frigentis aheni,
In tenueſque fluit guttas; ſic abditus imis
Viſceribus terræ reſidem calor igneus undam
(Quam cavus immenſi mons continet inſtar aheni)
Calfacit, & ſurſum fumos emittit aquoſos;
Qui ſimul ac gelidi tetigerunt concava montis,
Denſatus vapor in tenuem ſe colligit imbrem.
Saxa madent; circumque vagis flent omnia guttis:
Unde oritur rivus, qui montis acerba volutus
Per latera, hinc illinc venas rimatur apertas,
Atque humiles juga per declivia fertur in agros.
(Ubi de ſubterraneis ignibus,) Ima vaporiferos intra penetralia terræ
Fornaces ardere docet qui frigora plantis
Sub nive defendit tacitus calor, atque rubentes
Æthnæo qui monte furens erumpit in auras
Flammarum globus, ignivomo telluris hiatu
Horrida per Siculos ſpargens incendia campos.
Adde ſalutiferos fontes, & balnea paſſim
Terrenis calefacta focis, æriſque metalla,
Quodque ſagax Natura cavis ſub montibus aurum
Excoquit, humanis opus haud imitabile curis.
Tantus ineſt terris calor; ut Plutonia norint

Regna, metalliferis qui demerguntur in antris;
Tantaque ſulphurei eſt vis ignis, ut impete vaſto
Fundamenta ſoli quatiat, monteſque revellat.
Ænea quas tormenta vomunt, imitamine flammas
Hauſimus è terris; nec eas novus intulit orbi,
Impia ſubducens cælo per furta Prometheus.
Ignis humi gremio latitans ſe prodit ab ipſis
Oceani ferventis aquis; & nuper ad Indos
Inſula nata mari eſt, partu quam terra fragoſo
Protulit, ex imo jaculatis æquore ſaxis.
Incaluit latè pontus fumantibus undis;
Atque novum pelago dorſum, cæcaſque latentis
Prodigii cauſas avidi cognoſcere, flammam
Terreſtrem ratibus nimis heu! ſenſere ſolutis.
Plurima jam ſub monte cavo quæ cogitur unda;
Fervet ab æterno, tellus quem ſubjicit, igne.
Ad juga ſumma vapor levis evolat, unde relabens
Confluit in rivos, qui prona per arva voluti,
Oceano lymphas quas accepere redonant.
Hinc aqua monte fluens levis eſt, eademque ſalubris:
Scilicet è tenui levis eſt concreta vapore;
Et per arenarum manans quaſi cola, repurgat
Quod vitii, quod ſordis ineſt pluvialibus undis;
Quæ ſurſum licèt in tenues à ſole vapores
Educantur humo, terrenæ ſemina labis
Inſincera tamen retinent; fœtæque venenis
Deſtituunt medio ſitientes æquore Nautas,
Ciſternas ubi poſthabitis adiere fluentis.
Interea meditare diu quâ parte domorum — VILLÆ ÆDIFICATIO.
Fundamenta loces; ut laxa, ſalubris, & ipſo
Pulchra ſitu ſit villa; ſuum nec debeat arti
Impenſiſque decus, nemorum ſed dulcibus umbris,
Et rivo, qui prata vagus per amœna, penatum
Æternos modico ſumptu tueatur honores.

Vicinos fuge torrentes, & ſtrata viarum
Publica; planitiem ne depopuletur apertam
Prædonum vel avara manus, vel triſtis aquarum
Eluvies. Juvat & tacitas procul eſſe paludes:
Virus enim, morboſque palus eructat inertes;
Servatas hyemi fruges & agreſtia longo
Inquinat arma ſitu: nebulas expirat, & almas
Interimit ſegetes; cœnoque creata tepenti
Armat in humanos ſtimulis animalia vultus;
Ranarumque greges limoſa educit ab ulva,
Priſca coaxantes patulo convicia rictu
Quæ recinunt, placidis gens infeſtiſſima ſomnis.
Nec lateat cæcas intra domus abdita valles:
Maluerim Patrum ritu, ſuper ardua montis
Culmina, ſuſpenſos Aquilarum more penates
Inſtitui, validiſque dari ludibria ventis;
Quàm curvo ſub colle gravi torpere pruinâ;
Æſtivoque, feros cum Sirius evomit ignes,
Sole coqui; nullis æſtum ſolantibus auris.
Ergo locum capies, qui nec depreſſior unda
Stagnet ab hyberna, nec triſtibus horreat Auſtris
Editior, neque præruptus fluat imbre; ſed imâ
Vel ſic valle latens ſubſidet, ut aëra laxum
Accipiat; vel ſic montem conſurget in altum,
Montis ut alterius defenſus culmine, ventis
Non rigeat; ſic planitie diffuſus, ut imbres
Hybernos fallente queat deducere clivo.
Pinguis ubi molli ſenſim tumet edita dorſo,
Et tepidos tellus modicè deflectit ad Auſtros,
Nec tremulis rivus ſaliens procul obſtrepit undis;
Optimus ille domi ſitus eſt: hic atria, cellaſque,
Et ſtabula, & totos ſulco deſcribe penates;
Et ne præcipiti quid inemendabile pecces
Conſilio; proſtent operis primordia, toto

Quæ rigidus tecum cenſor dijudicet anno.
Ne fundus villam, neque fundum urbana viciſſim
Villa requirat: agro ſit par domus: ardua non tam
Suſcepiſſe juvat, quàm ſuſtinuiſſe decorum eſt;
Turpiùs & ceſſat quò cœpta ſuperbiùs, urbe
Indignante, domus: tu laſos rure penates
Ut facili ſtatuas operâ; nec prodigus aurum
Effundas, villæ felicibus utere donis.
Dat lapides muris tellus; dat lucus inemptam
Materiem tectis, operiſque fabrilibus; idem
Et virides ramos & cædua ligna miniſtrat;
Queis lateres calcemque coquas. Vel foſſile terris
Eruitur, fluvio vel de propiore petitum
Advehitur plauſtris ſabulum: quæ cuncta parabis,
Naſcentes priùs incipiant quàm ſurgere muri.
Saxa trahant fortes hyberna per otia Tauri:
Plurima vicinis in ſaltibus icta ſecuri
Procumbat Platanus, metuendaque pondere Quercus;
Atque Abies opere in ſicco durabilis, altaque
Ornus, & indocilis Fagus compage domari.
Populeas, Lunâ jam decreſcente, bipenni
Aggrediere trabes; atque arbor ad uſque medullam
Cùm fuerit propè cæſa, ſuo patiere minacem
Stare loco; venis ut noxius humor apertis
Diffluat; & plures lignum perduret in annos.
Pinguis ubi regio ducendis ſaxa negabit
Parietibus; lateres Figulus coquat igne, tenacem
Effodiens cretam, multâ quam maceret undâ,
Iliceiſque lutum formis dein molle figurans,
Æthereas plano ſuper æquore ſiccet ad auras.
Aggrediatur opus, vel cùm jam præterit Æſtas
Uſque ſub Autumni finem, vel rurſus abactis
Frigoribus, cùm Ver zephiro laxaverit annum.
Non ſatis hyberno ſiccantur Sole, Figuram

IN ÆDIFICATIONEM PROVIDENDA. *Cæmenta. Materies. Sabulum.*

Lateres.

Ut teneant lateres; rimiſque æſtate fatiſcunt.

Calx. Tres quatuorve dies ſolidos calcaria fornax
Non intermiſſis accenditur ignibus, imâ
Diſſiliat dum parte lapis, fumoſaque longo
Flamma per obſcurum non exeat aëra tractu.
Sunt varii lapides diverſos calcis in uſus
Quos fornace coques: opera ad tectoria mollis;
Dura ſilex ad ſtructuras adhibetur. Arena
Egregia eſt, compreſſa manu quæ ſtridet; & albis
Nec maculas pannis, neque ſordem excuſſa relinquit.

DOMÛS. *Fundamenta.* Hæc ubì materies fuerit congeſta, domorum
Fundamenta ſolo jacies, cùm denique terra
Ruderis occurrit ſine ſuſpicione ſoluti.
Aſt ubi viſceribus vel ab imis mollior uſque
Eruitur tellus, quartam demergere muri
Sufficiat partem: quernos defigere palos
Tum poteris, lapidumque gravem ſuperaddere molem;

Proſpectus. Ad medium ſpectent obverſa cubicula ſolem,
Altior ut Titan obliquâ luce feneſtras
Tranſcurrens æſtate, domum non urat; & idem
Inclinatus humi, gelidam cùm vergit ad Arcton,
Ima per hybernum recreet penetralia frigus.

Feneſtra. Quas hodie ruri ponunt & in urbibus ædes
Perfundunt hac luce, cavas hoc ore feneſtras
Hoc numero faciunt; altis ut tecta columnis
Non muris ſuffulta putes; hominemque penates
Nunc intra vitreos jures nec frigora Brumæ
Nec curare Notos & vim penetrabilis æſtûs;
Tranſmittuntur enim larga cum luce calores
Æſtivi; neque ſi raucis Aquilonibus atrox
Mugit Hyems, duram gelidi vim frigoris arcent
Multa feneſtratos quæ munimenta penates
Linea defendunt: placet indulgere tuentum
Deliciis; lætæque foris videantur ut ædes,

Intus acerba pati, magnoque incommoda ſumptu
Quærere. Sic uſu ratio quoque vincitur inter
Francigenas; quibus in morem ſi venerit, aurum
Argentumque levi placeat mutare Papyro,
Vanaque pro ſolidis ſibi nomina ſumere nummis.
Fas ſit in urbe novo moliri mœnia ritu,
Auſter ubi minùs audet, agros quàm nactus apertos.
Tu ruri veterum mores imitare Parentum;
Et modicis, quantùm ſatis eſt, admitte feneſtris
Aëraque & lucem; nec quære cubicula ponens,
Ordinibus longis pateant ut pervia viſu
Omnia; ſed liber ſit membris exitus; hoſpes
Ut placidos ducat ſecurus ab hoſpite ſomnos.
Stabit ubì perfecta domus; ne fructus agrorum
depereat, vel amans cultûs Matrona decori
Invitis oculis ſpectet non ruſtica tantùm
Arma, feroſque Canes, & ferramenta, ſed ipſas
Ruris opes; alias condendis frugibus ædes
Sic ſtatues, ut quæ loca ſunt magis humida, vinum
Accipiant, oleum medio quæ ſole tepebunt:
Maturos verò fœtus Pomique Pyrique,
Quos hyemi paleata ſuper tabulata repones,
Siccis claude locis. Rugas Aquilone, vel Auſtro
Mollitiem ne poma trahant, diſſolve tepenti
Frigus & humorem prunâ; crebròque reviſens
Inſincera manu remove; ne mucor ab uno
Serpat, & in tabulas latè contagia manent.
Horrea Sythonius Boreas inſpiret: aquoſis
Nec ſubeat pennis inimicus frugibus Auſter.
Ditia Tectoſages medio granaria vico
Ædificant, & humo condunt frumenta domorum
Ante fores, pluviæ ſecura ruentis, & auræ
Omnia perpetuo ſolventis corpora pulſu.
Curculio farris cumulos ubì rodere cœpit,

VILLA RUSTICA.

Summa tenet, totoque luem permiſcet acervo;
Ventilat excuſas qui plena per horrea fruges.

Stabula. Agricolæ ſit laxa domus: ſua cella Bubulco,
Sit ſua Paſtori: ſtabulis non influat imber,
Quo pecorum mollis corrumpitur ungula, murus
Deperit, & triſtes ducunt animalia morbos.
Mœnibus aut incluſa cavis, vel pendula ſurſum
Nullos incutiat fumoſa lucerna timores;
Et procul à ſtabulis ſub fornice villica panes
Excoquat; accenſas ne tigna calentia flammas
Accipiant, totiſque ferant incendia tectis.

Culina. Agricolas juvat inprimis ſpatioſa culina;
Quâ collecta domus largo brumalia ligno
Frigora diſſolvat, laſſataque veſpere curet
Corpora, nec ſeros opus interrumpat ad ignes;
Quos etenim de nocte poteſt urgere labores,
Non ſinit hyberno fieri ſub ſole Colonus.

(Ubi de ruſticæ familiæ ſerotinis laboribus.)

Poſt epulas hinc inde ſedent & grandis Arator,
Horridus & cuſtos Caprarum, Oviumque magiſter,
Atque lacertoſus Foſſor, duruſque Bubulcus:
Avulſis ſi quæ ramis hæſere, tenaces
Secernunt Oleas; detonſaque vellera purgant;
Et findunt, lymphâque domant Amerina calenti;
Vitibus aut acuunt vallos, aut vimine lento
Conficiunt calathos; ſua nec jucundiùs uſquam
Agreſtes videas decurrere penſa Puellas.
Villicus accenſâ nam dum face ſingula luſtrat;
Et clauſas inviſit Oves, numerumque recenſet;
Nec Pueros, timidamque Patris præſentia Natam
Continet; illa bonum, quem fingit amare, Menalcam
Dulcibus aggreditur verbis; ſtolidumque maligno
Illaqueat ſermone, ſuos ut & ipſe viciſſim
Explicet, & rauco cantu teſtetur amores;
Speret & hinc laudem, riſum quoque ducat honori;

Atque jocos vecors non ſentiat inter acerbos
Illudat nigro quòd Theſtilis improba ſucco;
Et faciem conſcribat: habent nam pagus & urbes
Hoc hominum genus ad vulgi ludibria natum;
Quos impune pigri Bovis inſtar acumine pungas,
Quique ſibi vel aperta inter convicia plaudant.
Æſculeis tectum pilis ſuſpende Coloni
Pro foribus, ſua quo defendit tegmine plauſtra
Et dolat hybernos currus & aratra per imbres.
Si ſit rure frequens iter & ſolenne, tabernam
Pone viatori; ſed egenos excipe tectis *Diverſoria taberna.*
Ipſe tuis. Hominum quondam Divûmque parenti
Nomen ab hoſpitio veteres fecere; ſuiſque
Vilia dum latebris animalia ſomnus habebat,
Non hominem nudo voluere ſub æthere noctes
Ducere; ſed tecto donarunt hoſpite; necdum
Audierant inopum vili ſub veſte latere
Sæpe Deum, cæloque virûm pia dona reponi.
Ne gravidas procul à villâ terat area meſſes; *Area.*
Ut raptim frumenta domi malè trita recondas,
Si ſubitus nimbis fallentibus ingruit imber.
Eligitur locus & ſublimis, & arbore nudus,
Ut lenem accipiat per flabilis area ventum.
Illa vel ingenti tibi complananda cylindro,
Vel ſaxis (opus æternum) ſternenda: flagello
Cedit enim tellus, atque interiore recondit
Mollitie frumenta, levi vel pulvere fœdat.
Sit piſcina duplex, ut maceret altera virgas;
Et pecori facilem det purior altera potum. *Lacus compluvius.*
Purgamenta domûs ſtabulique, ſoloque jacentes
Quas ſylvis decuſſit hyems Aquilonia frondes,
Et limum, fluvii ſi quem incrementa tumentis *Sterquilinium.*
Reſpuerint, madidæ tectis procul ingere foſſæ,
Sic poſiti tenues non evaneſcit in auras

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Exucci vis tota fimi; craſſâque peremptis
Seminibus lymphâ, non pullulat herbida meſſis.

DISTRIBUTIO FUNDI.

Proxima ſint villæ pomaria, floreus hortus,
Et quæcumque placent oculis, quæcumque rapaces
Invitant ad furta manus. Aquilonis ab ortu
Sylva truces frangat ventos, & frigora tollat
Umbriferis quæ deinde comis æſtate redonet;
Atque Hyemes eadem nimioſque attemperet æſtus.
Humida vallis Olus, vivaces collis Olivas
Educet: in plano vel fluctuet æquore meſſis;
Vel longo fundant ſe prata virentia tractu.
Hinc procul aſſurgant Vites, oculoſque morentur
Camporum per aperta vagos. Quot jugera prato,
Quot ſegeti dabis, aut Oleis, vel Vitibus almis,
Ex opera redituque ſimul metire, labori
Componens fructus; & tecum mente revolvens
Quanti vendideris, non quantùm innaſcitur agro.

Frumentarium ſolum.

Quæ Cereri viſa eſt humus opportuna ferendæ
Sæpe redit manibus verſanda; dataſque repoſcens
Mutuat in ſemen fruges, neque perfida pactam
Liberat uſque fidem; ſeu meſſibus obfuit annus
Siccior aut pluvius; ſteriles ſeu fudit avenas
Infœcundus Ager; fractis ſeu grandine culmis
Procubuit, fluxiſve ſeges ſtetit arida granis.

Vineæ. *Oliveta.*

Sumptibus ipſa ſuos interdum Vinea fructus
Devorat; incerto quoque caſu pendet Oliva;
Et quanquam tenui ſeſe lætiſſima cultu
Suſtineat, tamen & glacie ſterileſcit & æſtu;
Ac nebulis flos Vere novo contactus iniquis
Emoritur, triſtique ſolum tegit omne ruinâ.

Prata.

Non faciunt hos prata metus; ſecura pericli
Diffuſas cælo nebulas Boreamque, Notumque
Accipiunt: frigus nec curant triſte, nec æſtum;
Deductus facili rivus quem temperat undâ.

Pratenſis minimum deſiderat herba laborem ;
Et ſemel orta, ſuas nullis obnoxia curis
Fundit opes ; reditu nec ſimplice ditat avaros
Agricolas : hyemi nam fœnum atque annua feſſis
Paſcua dat Tauris ; armentaque læta tuetur ;
Eximiumque decus ridentibus adjicit agris :
Roſcida ſeu flores intermicet herba rubentes,
Seu jaceat proſtrata ſolo, mollemque cubanti
Sufficiat thalamum temerè congeſta ; vel alto
Accipiat ſitiens ductos è tramite rivos,
Atque novam paret uſque novo ſine ſemine meſſem.
Quare agite & dorſo ſi non decedat iniquo,
Præcipites neque fundat ager præruptior undas,
Nec bibat humorem graciles imitatus arenas,
Stagnantes neque contineat depreſſior imbres ;
Jugera quanta patent, Medicam, Viciaſque, Boumque
Gramina torpenti non injucunda palato
Spargite, & aſſiduos pratis inducite rivos :]
Ipſa niſi molles uligine pinguior herbas
Nutriat irriguæ tellus non indiga lymphæ.
Sed neque poſthabitis Oleas an ponere pratis ;
Meſſibus an præſtet, vel habendæ incumbere viti,
Definire velim : veteres imitare locorum
Agricolas : non omnis enim fert omnia tellus.
Ipſe Garumna ſuo populos qui ſpectat in ortu
Forcipibus maſſas chalybis tractare liquentes,
Et montes aperire cavos ; per opima volutus
Paſcua, vel preſſis ſolidum lac cogere formis
Agricolas videt, aut Pomis inſtare ſerendis :
Triticeas poſthinc ſegetes miratur, utroque
Mox conſpecturus gravidas in littore Vites.
Quidquid erit, quamcumque tibi ſpem patria tellus
Fecerit ; antiquos ferro ne dejice lucos. *Sylvæ.*
Aſpicis effoſſo terris carbone Britanni

Quàm malè diſſolvunt frigus, quàm ducitur ægrè
Spiritus; infeſto niſi tabeſcentibus igne
Monſpelienſis opem tulerit pulmonibus aër.
Circuitu majore novos, urbs inclyta, muros
Extrue: divitibus decorata ſuburbia tectis,
Et quos Verſaliis hoſpes laudaret in agris,
Hinc illinc poſitos amplectere mœnibus hortos;
Ægra ſalutifero potiatur ut aëre tecum
Gallia, quæ foculos uno carbone Britannum
Mox ſtruet ad ritum, ligno caritura; graveſque
Hauriet & fumos, & anheli ſemina morbi;
Ni caveant quibus eſt nemorum mandata poteſtas.
Victrices pelago naves, ramoſa calenti
Ligna fóco domibuſque trabes, & aratra Juvencis
Sufficiat lucus; ſed Avorum munere natas
Tu quoque ſylvarum tranſmitte Nepotibus umbras.
Campanicæ Sylvæ luctuoſa extirpatio.
O! ubi curarum requies, ſtudiique levamen
Frondoſum nemus, & veteres quas noſtra Toloſæ
Nutrierat ſibi contiguas 1. Campania Quercus!
Flemus adhuc, atquè hoſpitibus felicia quondam
Monſtramus loca, quæ villæ contermina luco
Florüerant, denſiſque rigent nunc obſita dumis.
Ruris amatorem, qui perleget iſta, Poëtam
Heu! nimium juſto ſinat indulgere dolori;
Et ſaltem meminiſſe, frui nos invida quando
Fata vetant: mihi nam videor ſpectare, renatis
Arboribus, ſocios nemorum per opaca vagantes.
Secretis alii ſecum meditantur in umbris,
Atque alto leges divinaque dona revolvunt
Pectore; vel longo decurrunt murmure ſacri
Penſa miniſterii, pia vota preceſque diurnas.
Sub patula multi feſſum latus Ilice ponunt:
Cantantes ille audit aves, auditur & illis,

1. *Prædium collegii Toloſani Societatis Jeſu.*

Voce

Voce ſuum modulans dulci vel arundine carmen :
Hic gravibus ſomnos oculis admittit inertes ,
Reſtituens ſibi quas ſtudio ſubduxerat horas.

Trudiculis ludunt alii : locus arbore nudus , *Ubi de ludoTrudiculorum.*
Cui circumpoſitæ præbent umbracula Quercus ,
Eligitur ; ſparſâ tellus ſolidatur arenâ ;
Quæque laborato præcluditur area ligno ,
Secta vias patet in quatuor : ſtat ferreus orbe
Annulus in medio , per quem ſi buxeus ullâ
Trajicitur ſine fraude globus ; vel tramite circùm
Quadruplici fixas ultra detruditur oras ,
Victor eris ; totâ victor celebrabere turbâ ,
Sedibus hinc illinc gaudens quæ ſpectat ab altis.

Ergo levi quibus eſt animus concurrere pugnâ,
Brachia ferratis armati fuſtibus adſunt ;
Atque globos , valido ſylvis reſonantibus ictu ,
Percutiunt ; animoſque levant exercita duro
Membra fatigantes ludo : Nec amore legendi
Sylva vacat , quanquam recreando nata labori.
Non alibi vates propiori numine Phœbus
Afflat ; & ad populum , cui fandi copia , Fagos
Agreſtes inter , nemorumque ſilentia , diſcit
Magna loqui , fonteſque tonans inflectere mentes.

Hîc ego te Lauro cinctum Parnaſſide vidi
Clerice , felici meditantem pectine verſus , *Et de Auctoris ſodalibus.*
Quos mirata diu , cùm jam nequit ampliùs auro
1. (Poſt exhauſta tibi ſua munera) laude Toloſa
Donat ; & Aoniis ultro te cœtibus addit ,
Muneribus reliquos decoret quo judice vates. *P. Cleric.*

Dicentem cupidâ ſuſpenſus ut aure bibebam !
Sive Sophoclæum nemora inter opaca Cothurnum
Indueres ; lepidos , poſitâ gravitate , Terenti

1. *Toloſæ in Academiam cooptantur qui tria præmia retulere. P. Cleric jam octies præmio decoratus eſt.*

Sive jocos patrio reddens ſermone referres ;
Eloquiove potens rueres torrentior amne ;
Autumno quoties medio dicturus (agrorum
Delicias veluti raperet præcognita fandi
Copia) deſertam donabas civibus urbem.
Gaudebas , memini , vel ſylvam errare per altam ;
Caſtaneâ vel ſub veteri conſidere mecum :
Fons ubi ſic tremulam Zephiris motantibus umbram ,
Caſtaneaſque nuces , & quæ ſuper arbore ſidunt
Inſtabiles imitatus aves , ſpecularibus undis
Exprimit ; ut dubites an eandem fonte ſub ipſo
Creverit in faciem ramis felicibus arbor ;
Hirſutiſque latex frondens horreſcat Echinis ;
An volucres alat unda ſuas , quæ flumina pennis
Ima ſecent ; vitreas an imago ſupervolet undas.
Hic locus eſt ubi prima meæ conamina Muſæ
Cùm legeres , ſtimulos dare ſuetus opemque , jubebas
Carmen ad incudem & limam revocare ; tuumque
(Latiùs effundes proprio quod carmine) nomen
Si taceant quos te fingo cenſore libelli ,
Ingratus videar ; mihi nec ſatis æquus , amicum
A teneris niſi conjunctum te glorier annis.
P. Campiſtron. Tuque Capiſtronides , animæ pars altera noſtræ ,
Hic plauſus , hic illam inter Querceta parabas
Nobilis ingenii famam ; quâ ſive Cothurnum
Æmulus aſſumis fraternæ laudis ; avenâ
Sive canis citharâque , tuo ſeu profluit ore
Majeſtas romana , lepos vel gallus , utroque
Et latio patrioque potens ſermone , Senatum
Purpureum trahis , & populos te cive ſuperbos.
P. Belot. His ego te , quo jam vellem monſtrante doceri ;
Inſtitui ſylvis primo , Belote , ſub ævo ;
Cùm florens ſtudiis , artes ita natus ad omnes
Eſſe videbaris ; foret ut dubitabile quali

Ad ſummum decus ingenii famamque placeret
Ire viâ : nam verba ſacras orator ad aras
Seu faceres ; noſtras, Muſarum caſtra ſecutus,
Obſcurare tuo velles ſeu carmine laudes ;
Plauderet urbs, avidâ nec ſegniùs aure canentem
Exciperet, quàm ſacra tenens cùm pulpita ſolvis
Luce tuâ fidei tenebras ; cupidoſque ſciendi
Diſcipulos, ad quina virûm centena coactos,
Voce doces vitâque magis pietatis amorem.

O ! ubi nunc virides umbræ tacitique receſſus,
Qui tantos aluere viros ! inſtaret acerba
Cùm jam pene dies perituris ultima ſylvis,
Proh ! quali tonuit Parnaſſia murmure rupes !
Sed quid inhumanas contra potuere ſecures
Carmina : Threicio quanquam non ſegnior Orpheo
Flebilibus juſtam nervis effuderit iram
Murgius ; aoniis jam non aurita Poëtis
Obſequitur Quercus : ſed, quod licet, icta bipenni P. Mourgues.
Congemit ; & quâ voce poteſt, quos ſæpius umbrâ
Fovit, ad auxilium vocat emoritura ſodales.
Venimus ; ac veluti data poſt certamina, campo
Cum jacuere duces, atque inclyta nomina letho
Perdita, ſecreto triſtes horrore movemur ;
Liventes plagas, fluidoque cadavera tabo,
Oraque cernentes patulo deformia rictu :
Idem omnes nos ſenſus habet, cùm grandia quondam,
Victaque jam ferro, Querceta jacentia terris
Aſpicimus, frondeſque reciſaque brachia trunco
Sepoſitis pallere locis, flammiſque parari.

Heu ! quantus nemore avulſo decor excidit arvis !
Quàm ſibi diſſimilis Campania : rebus in arctis
Pauperies urgens quæ vaſtam excindere ſylvam
Suaſit, & in belli ſumptus impendere ruris
Delicias ; eadem cultûs inimica decori

Cogit agros ſervire lucro : nam vomer avarus
Antiquæ turrita domûs nunc mœnia pulſat ;
Et ſeges eſt, ubi ſe ſpectabilis ordine pulchro
Fuderat Ulmorum ſeries ; quæſitaque longè
Rarior æſtivis emitur jam ſolibus umbra.
  Pampineas vites inter via longa, tegebant
Quam poſitæ quondam ſpatiis æqualibus Ulmi ;
Cæſpite nunc uno viret, arbore nuda ; ſoloque
Si quis adhuc ſtat truncus iners ; arbuſcula fatis
Si qua relicta ſuis oritur, premit ægra dolore
Corda novo, veteres revocans ſpatiantibus umbras.
  Non Buxos humilemque Pyrum tonſura coërcet
Annua ; ſed fuſis ſine lege per aëra ramis
Ire ſinunt ; & qui flores & oluſcula nobis
Sufficiebat, Equis nunc hordea parturit hortus.
  Repit, & ingenio jam liberiore per omnes
Lympha vagatur agros, quæ preſſa canalibus olim
Altiùs in varios erupit ludicra jactus :
Miris torta modis, tunc ibat ab ore Leonum
Phocarumque fluens ; nunc ruſtica tota Faſelos
Irrigat aut miſeros Caules ; & in ore Leonum
Phocarumque ſuas vel tendit Aranea caſſes,
Aut intus ponit luteos avis hoſpita nidos.
  Alveus innatas olim felicibus agris
Excipiebat aquas ; & circum picta Phaſello
Prata vehebamur, vel edaci ſubdola piſci
Retia tendentes, vel aquarum frigore & umbris
Vitantes rapidum frondente ſub arbore ſolem :
Cymbula crediderim, venalibus addita lignis,
Cum Quercu viſit triſtes urenda caminos ;
Trutaque flucticolas inter pulcherrima piſces,
Littora quæ nobis ad nota ſedentibus olim
Adnabat, molles fructus, ſervataque panis
Fruſtula mendicans oculis caudâque trementi ,

Ceſſit aquis, Ranæ linquens cœnoſa loquaci
Flumina: Gallinis graveolentibus atria Pavo
Libera permiſit; villæque nitentis amantes
Exceſſere ſimul triplici de turre Columbæ;
Tectaque marmoreis habitant innixa columnis
Aut infeſta cohors Murum, vel Bubo ſiniſter.
Nos procul hinc aliò quoque migraremus; in illa
Sorde jacens, niſi vicinas Campania villas
Exuperet: nam mirum, etiam populata, decorem
Invitis retinet dominis; cultuſque vetuſtos
Naturâ ſupplente, merum rus uſquè placebit.
Hæ ſunt, Lamonide, quales deſideret emptor
Neglecti decoris villas; quas una beato
Dives opum fortuna ſitu, venæque perennis
Fontibus & pingui ditaverit ubere tellus.
Si quem noſſe juvat quos & felicibus hortis
Et domibus lymphiſque poteſt ars addere cultus,
Quæ tu Curſonio poſuiſti prædia fundo
Viſat; opeſque ſoli, flores, pomaria, ſylvas,
Atque aditus & tecta domûs, operumque magiſtram
Et moderatricem ſtupeat per ſingula mentem.
Seu procul obtutu ſtet contemplator in uno,
Atque avidis primos oculis delibet honores
Deliciaſque loci; ſive atria prima domorum
Intret, & incertus naturam laudet an artem
Nunc ipſas ædes, nunc rura patentia circùm
Proſpiciat. Juvat inprimis in imagine vivum
Marmoreâ, dicamne tuum populive parentem
Aſpicere; & tacitâ ſecum pietate vereri
Illius ora, virûm quæ cuſtos optima quondam
Induerat, daret ut Regno Themis arbitra leges.
Auſpice te priſcos cùm defendiſſet honores
Quæ docet ars Pario ductos è marmore vultus
Reddere, vel vivo pictos animare colore;

Bavillæi prædii deſcriptio.

Illa tuam ſeris faciem tranſmittere ſeclis
Cogitat officii memor : at tu (marmore quanquam
Duratura magis monumentis non eget ullis
Fama viri) tamen hac donari laude parentem
Expetis ; ut patrii majeſtas oris eâdem
Et nati pietas æternùm in imagine durent.
Cætera quid memorem quæ ſe miracula paſſim
Objiciunt ; pedibus ſeu rura beata ſequamur
Aut oculis : quos ipſa loci natura vagantes
Ne laſſet ſpatiis ; colles utrinque ſupinos
Objicit aut Baccho virides, vel meſſibus albos :
Et mediis, quantos poſſunt luſtrare tuentum
Lumina, cogit agris toti quas parcior orbi
In populos partitur opes ditiſſima tellus.
Non alibi tumido ſine faſtu tanta domorum
Majeſtas ; non ille nitor cum ſimplice cultu ;
Non querni nemoris par umbra, pareſque receſſus ;
Nec ſimilis decor, ubertas, & gratia tonſis
Arboribus, neque tam bellè Ficuſque Pyrique
Applicitæ muris : illo non ordine flores
Digeſti ; reliquis non ſic olus emicat hortis.
Te quamvis abſente procul, flos omnis & arbor
Luxuriet ; niteatque minùs : nam quale locorum
Te deſiderium tenet ; eiſdem prædia votis
Te repetunt. Sint hæc illis ſolatia, Natum
Quem tua ſectantem veſtigia munere gaudes
Pene parem, & meritis non inferiora ſequentem ;
Curſonium ſpectare, viri mollire labores,
Et ſaturare ſuos in imagine patris amores.
Tuque Pariſiaci qui ruris amore teneris,
Deſine, blanda licèt, loca velle reviſere ; Regi
Nec populo furare datum te munus, amico
Divûm conſilio : natas in publica mentes
Commoda ſepoſitis ſcelus eſt ſibi vivere curis.

BIBLIOTECA NA[illegible]
ROMA
VITTORIO EM[illegible]

pag. 31. II. Lib.



PRÆDII RUSTICI

LIBER II.

Servorum delectus, eorumque in excolendis agris miniſteria.

NUNC age, quì ſervis melior delectus habendis
Exequar; & quoniam ſulcat qui rectiùs agros, — ARATOR.
Utiliùs colit; inprimis tibi quære Bubulcum,
Quem pecudes atrocem habitu, non indole ſævum
Formident: nervoſa viro ſint brachia, vultus
Terribilis, ſed blanda manus; plenuſque minarum
Verbera difficili non addat dura labori;
Sed reſono terrens clamorum hortamine, vaſtâ
Voce magis, quàm vel ſtimulo plagiſque Juvencos
Imperio dociles habeat. Procerus Arator
Sulcandum ſtivæ innixus cavat altiùs agrum,
Et duras niſu rumpit leviore novales;
Incedenſque retro proſciſſa per æquora, Tauris
Celſior, extremas oculum collimat ad oras;
Obliquumque brevi gyro deflectit aratrum;

Si qua ſolo jaceant, quibus obluctata moveri
Colla Boum poſſint, alliſave cornua frangi.
Norit & agrorum mores, & tempus arandi
Nec duram recludat humum, vel ab imbre lutoſam:
Almus enim moto cum pulvere ſuccus in auras
Avolat; & toto manet intractabilis anno
Vertitur infractis quæ tellus humida glebis.
Si pluvios cretoſus ager vix ebibat imbres,
Vere ſub extremo jam ſiccus arabitur, herbas
Cùm tulit injuſſas, quarum mala ſemina nondum
Meſſis in exitium ſiliquis fluxere ſolutis.
Nec mora tranſverſis iterum ſecet æquora ſulcis;
Pendentes eadem neque per veſtigia colles
Proſubigat, ſed agri nunc in declivia Tauros
Dirigat, obliquo nunc vertat in ardua ſulco.
PASTOR. Agricolæ concors labor eſt Oviumque magiſtri:
Et quamvis ſtudia in contraria ſæpe ferantur;
Atque Bubulcus amet puros à gramine campos,
Hamatiſque rubis fugiens loca conſita Paſtor
Herboſos ſectetur agros; nonnulla laborum
In tam diſparibus tamen eſt concordia votis.
Alter arat; campoſque fimo juvat alter ovillo:
Servit agro pecus, & pecori dat molle viciſſim
Gramen ager; neque rura vigent armentaque, denſi
Sive greges campis, gregibus ſeu paſcua deſint.
Romulidæ quondam Proceres quæ fortiter armis
Quæſierant, ipſi ſubigebant arva; Colonos
Nec ſemel avulſos ab aratro Roma vocavit,
Imperiis gravidam regerent qui legibus urbem;
Ac poſitis iterum ſulcarent faſcibus agros.
Subdiderant cui colla Duci famularia gentes,
Lætus aratori Taurus parebat ovanti;
Ipſaque laurigero verſari vomere gaudens
Terra triumphalis ſuperabat vota coloni.

Si ſacros tamen annales, veterumque virorum
Evolvam monumenta; greges ſervare paternos
Nobilius viſum eſt olim, quàm vomere terras
Exercere graves, ſulciſque repoſcere fruges.
Aurea namque ſub hæc mundi primordia; Regum
Progenies veneranda, Pedum (præludia ſceptri)
Paſtorale gerens, Ovium moderamine blando
Subjectos quondam diſcebat habere benignis
Imperiis populos, nec opes crudeliùs, inſtar
Velleris, ad vivum reſecare, ſuperflua tantùm
Sed leni tondere manu, lac ducere preſſis
Molliter uberibus, non immulgere cruorem.

Priſca vitæ paſtoritiæ dignitas.

At vacua incultis ut erant tunc omnia terris;
Cuſtodes Ovium loca per deſerta vagantum
Alta ſub innubi peragentes otia cælo,
Non tantùm didicere gregis quæ cura tuendi
Optima, quæ morbos & quæ ferat herba ſalutem;
Aërias tentare domos, Lunæque labores
Et varium cæli placuit cognoſcere morem.
Servarunt primi tacito labentia motu
Sidera; tranſverſum mundi revolubilis axem
Et geminos ſtatuêre polos, Solemque ſecuti
Nominaque & numeros Signis fecere, volentes
Ut pecori & ſtellis Aries dux eſſet; & idem
Cælo, qui ſtabulis armenta, reduceret annum.

Illi adeo volucres imitati voce canoras,
Dulcibus inter ſe primi concentibus auras
Implerunt; calamos etiam fecere loquaces,
Quos pice vel liquidâ plures conjungere cerâ,
Et numeris dare verba, pedeſque affingere verbis
Inſtituêre: modos paſtoralemque cicutam
Nunc etiam Vates adhibemus, ut otia ruris
Tranquilloſque dies, caſtumque canamus amorem.

Omnia proh! quantùm longis mutantur in annis!

Quod regale fuit quondam , quod Apolline dignum,
Vilibus officium ſervis mandatur ; inerſque
Et ſtolidus vir paſcit Oves ; quæ cura manebat
Ingenuo pueros olim de ſanguine natos.

Hac hominum de fæce , virum tibi ſelige frugi ,
Qui magis ingenio placeat quàm corpore , primis
Qui curare greges , & paſcere norit ab annis ,
Urbanaſque puer non ſit formatus ad artes ,
Atque juventutis primæ tranſcenderit annos.
Non tamen in ſenium vergat proclivior ætas;
Ne pedibus vix ſtare potens , propioribus agris
Inſiſtat piger , aut molli reſupinus in herba ,
Non obſervet Oves : oculorum namque requirunt
Sublimem veluti ſpeculam ; ne ſi qua moretur ,
Aut gregibus præcurrat , agris vel deerret apertis ;
Involet è latebris Lupus inſidiator ; Ovemque
Aut collo vehat impoſitam ; vel mordicus aurem
Apprendens , ſaltus trepidam deducat in altos ;
Atque renitentis clunes , uterumque flagellet
Verberibus caudæ ; dum triſtior illa remotum
Longiùs heu ! querulo fruſtra vocat ore magiſtrum.

CAPRARIUS. Caprigenum qui ſaxa pecus per inhoſpita ducet,
Sit brumæ patiens pluviæque nivalis , & audax
Reptantes ſalebroſa ſequi per culmina Capras.
Ingenium faciemque viri crux ipſa locorum
Efferat aſperitas , & linguæ dedocet uſum.
Sed tu nil ſpeciem turpeſque morabere vultus
Paſtoris , dum tenſa ferat grex ubera lacte.

Lanigeras bene paſcat Oves , ſubigatque peritâ
Ruſticus arva manu : terræ cultura feracis
Vertitur hoc duplici quaſi cardine : cætera rutis
Officia , ulteriùs dein evolvenda , colentum
Villicus ingeniis accommodet atque lacertis :
Namque viro vir ut differt ; nec in omnibus idem eſt

Corporibus vigor, aut animis prudentia rerum;
Sic varia eſt agri quoque diſciplina colendi:
Poſtulat hæc validis ſociatam viribus artem;
Hæc plus artis habet quàm roboris; altera mentem
Conſiliumque, meras deſiderat altera vires.
Rejice quæſitos opera ad graviora Colonos,
Protinus exhauſtis ceſſant qui viribus; agros
Segniùs effodiunt, occultâ fraude relinquunt
Crudi aliquid; terræ nec ad intima viſcera tendunt;
Sed pigri leviore movent ſola ſumma bidente.
Nervoſos Olus agricolas gnavoſque requirit, Olitor.
Qui variis norint accommoda ſemina terris;
Arvaque perpetuo renovanda ligone fatigent,
Nata recèns cultu foveant arbuſta, futuro
Provideant, domini rem curent parciùs, uni
Nec ſtudeant famæ ſed habendis fructibus inſtent.
Inprimis hunc ſperne, novas jactantior artes
Qui ſermone magis, quàm re commendat; eorum
Quæ fecere alii nihil approbat, omnia mutat,
Et reficit, nec tam reparat, quàm deſtruit hortum,
Spe dominum paſcens, neque menſam fructibus ornans.
Sed velut in magnis ſpes & victoria bellis Villi-
Pugnantum non ſtant animis, numeroque virorum, cus.
Ductor ubi nullâ fortis regit arte catervas:
Sic tu rure parum famulorum examine multo
Proficies; niſi dux vires & brachia rectis
Temperet imperiis. Nequam tibi Villicus agros *Nequam*
Emaciat, nocuo ſylvas arbuſtaque ferro *villicus.*
Perſequitur, malè paſcit Oves, Oviumque magiſtros:
Incuſtoditi per mollia prata vagantur
Lætaque proculcant Tauri frumenta: rapinis
Arva patent adaperta; manus neque continet ille
Cujus erat fures avertere: poma, nuceſque
Clam legit; & domino plus ſeminis imputat, arvis

Quàm dederit, totas neque mittit in horrea meſſes.
Sumptibus extenuat fructus : riget obſita Vitis
Sentibus, erranti vel gramine : junior arbos
Deficiente perit lymphâ ; ſiccuſque novellâ
Pro Platano ſtat palus humi ; vel pendula ramos
Dejicit, & baculo primis non fulta ſub annis
Planta manet contorta, Noto vel læſa procaci :
Hanc flexâ cervice videt nutare, gravique
Verrere fronde ſolum, nec opem dignatur amicam
Ferre laboranti, quernumque adjungere palum,
Qui fragilem trucibus plantam defendat ab Auſtris ;
Ipſi adeo, miſeris dudum ſi præſidet arvis,
Depereunt fontes ; ſterileſcunt prata : jacentes
Deſtituit colles humus ipſa trahentibus undis ;
Atque ubi poſt aliquot villam infamaverit annos,
Litem pro pactâ fundi mercede relinquit.

Hanc quoque ſæpe dati prior occupat æris acerbus
Creditor, & miſſo ſpoliat lictore Colonum,
Servatas hyemi ſegetes & vina, lebetes,
Ac thalamos, & quos alieno Villicus auro
Emerat, ad triſtem videt heu ! cum curribus haſtam
Stare Boves, vocique novæ parere coëmptos.
Nudus opum nudas repetit mœſtiſſimus ædes,
E quibus ægra fames abigit, ſervire coactum
Qui famulis legem dederat : memorabile pigris
Exemplum dein Agricolis, ut amare laborem,
Inque ſuis nummis & parcè vivere diſcant.

Bonus villicus. Fortunatus ager longo quem Villicus uſu
Novit, & exercet multâ cum prole ; ſuoſque
Ditis avos fundi numerans atavoſque Colonos,
Huic patrio quaſi jure præeſt : nec junior ætas
Præcipitem faciat, neque tardum pigra ſenectus ;
Namque ſenile licèt tractandis congruit agris
Imperium, juvenumque manus, tamen uſquè repugnant
Obſequio

Obſequio famuli, ſeu junior arva gubernet,
Sive ſenex: alius quòd non bene præcipit, alter
Quòd nihil exequitur: nam plus exempla jubentis
Quàm præcepta valent; & ruris in arte colendi
Si ſapiat plus ſervus hero, male juſſa faceſſet.
Villicus & vitæ mores operumque laborem
Inſtituens, totum curas extendit in annum,
Et quid quâque die peragendum, veſpere jam tum
Præmonet, antè toro famuli quàm membra reponant.
Ultimus it cubitum, concuſſo cardine poſtquam
Vidit utrum contra nocturnos oſtia fures
Sint munita ſatis, nova num ſtramenta ciboſque
In longas habeant hyberna bovilia noctes.
Impiger ad primos Galli conſurgere cantus,
Non patitur lentos ad opus procedere ſervos;
Sed jubet, inſtantis velut ad certamina belli,
Fortibus ire animis: oculos per ſingula volvens,
Urget opus, pigros dictis caſtigat acerbis
Agricolas, laudat fortes, operumque peritos;
Et placito longum recreans ſermone laborem,
Vix operam phœbumque ſinit ſentire cadentem.
Si quis erit quaſſo languent cui corpore vires,
Succurrens adhibet fomenta, domumque remittit:
Præſtat enim ſoles aliquot requieſcere ſervum,
Quàm ſi dura ferat longos incuria morbos.
Dat ſine fraude dapes, operique cibaria duro
Reſpondere jubet, nec avarus pocula triſti
Miſcet aquâ, nigro famulos nec furfure paſcit,
Durius eſſe putans & iniquum munera vitæ,
Humanos quæ terra parens largitur in uſus,
Deeſſe viris, quibus ipſa ſuas exercita tellus
Debet opes: ſocios operum cibus unus herumque
Suſtinet: una ſitim communibus amphora menſis
Abluit; utque ſciat cui credere poſſit, abundans

Villici officia.

B

Conſilii, tamen interdum quæ ſemina terris
Optima, quæ vitis melior cultura, requirit.
Villici mores. Temperat imperium clementia: lentus ad iram
Verberaque ignoſcit famulis, mavultque cavere
Ne peccent, meritis ſontes quàm plectere pœnis,
Injecto nonnulla metu, ſed plurima ſanctis
Moribus emendat: per duros membra labores
Exercens, animam prohibet ſuccumbere culpis.
Latiùs hinc magnas, Pagis ignota, per Urbes
Graſſatur ſcelerum facies, quòd in Urbibus alta
Deſidia eſt, operumque quies; morumque magiſter
Optimus Agricolas curis labor urget honeſtis.
Villicus exemplo præit ipſe; ducemque ſequuntur;
Et morum famuli teſtes ſociique laborum,
Non adjutores ut in urbe libidinis adſunt.
At neque ceſſat opus, ruptis ubi nubibus imber
Largior Agricolas tenet intra tecta: lavari
Dolia, purgari villam frumentaque, funes
Sarciri jubet, & ſtabulo fumoſa caniſtris
Stercora deferri, raſtros & aratra parari,
Lignaque flammigeris findi majora caminis.
Non hominem vano ſermone moratur Aruſpex;
Nec focus aut nugæ fabrorum, quique per urbem
Agricolas ad vina vocant venalia rami.
Non laqueis volucres, non viſco decipit auceps,
Nec canibus ſequitur lepores venator; & almam
Negligit interea ſegetem, Viteſque colendas.
Villicus in urbe infrequens. Oppida rarus adit, cum res & commoda poſcunt
Tempora, ſervatas fruges ut vendat, Oveſque
Morboſas, vetuloſque Boves, & vellera lanæ;
Ut pueros hyemem contra præmuniat, ipſamque
Utiliter ſponſam non cultè veſtiat, auri
Parcus, & urbani metuens contagia luxûs,
Quæque bonos exempla valent corrumpere mores.

Indignatur enim ſegetem quæ jugera centum
Veſtierat ; vix Matronæ ſatis eſſe tegendæ, *(Ubi de urbano luxu)*
Obſtupet inprimis cùm ſpectat in urbe Puellas
Et Matres pallâ diſcinctâ vadere, nudos
Exertare ſinus, & (quæ tegumenta pudoris
Repperit afflicti veſana licentia morum)
Purpureis grandes intexere veſtibus orbes,
Qualibus ille ſolet ſua cingere dolia vinclis.
Occupat una vias laxoſque canephora vicos;
Vixque ſuas intrat foribus bipatentibus ædes,
Protenſis latè tunicis, inflantur ut Auſtro
Carbaſa, cùm plenis ſulcat ratis æquora velis.
Fabula ſi qua recens totam vulgata per urbem
Inclyta dedecoret maculoſis nomina probris;
Erubeantque viri quod peccat adultera conjux;
Vel doleant ludo tenuat quos prodiga cenſus:
Miratur Proceres, qui legibus oppida frænant,
Non regnare domi, ſed rem famamque mariti
Uxorem penes eſſe levem. Connubia ruri
Stant ritu meliore: viri dominique jubentis
Imperio paret conjux; oblitaque legum
Et fidei; ſi quæ blandis ſermonibus aures
Credula præbuerit, nullis infamia creſcit
Litibus in vulgus ſparſis: quo pectore ſontes
Caſtigat pueros, meritas à conjuge pœnas
Clam repetit ſponſus, promptoque recidere mallet
Fuſte ſcelus, lento ſocii quàm fœdera lecti
Solvere judicio: jus imperiumque mariti,
Quod mera ruſticitas apud oppida culta vocatur,
Rure pudicitiæ cuſtos & amoris habetur.
Proh! quibus uxores oculis fatuoſque maritos
Ruſticus aſpiceret! feſtis accumbere menſis
Si videat ſolas, & nudo vertice circùm
Stare viros, humeris mantilia ferre, nec ullum

Abnuere officium vernæ, nulloſque negare
Quos veluti miſerata cibos dat fœmina retro
Stantibus ad menſam ſponſis: his turgida Matrum
Mens epulis alitur, creſcitque ſuperbia formæ:
Inde miniſteriis fungi ſervilibus ultro
Quos vidêre, putant natos ſervire maritos.
Villicus urbani quanquam non ambulet auceps
Rumoris, ſolâque roget de meſſe Colonos,
Accerſit quos rure frequens Mercatus in urbem;
Noſſe tamen juvat invicti quàm proſpera Galli
Bella gerant; avido referat quæ nuntia pago.
Dein modium ſalis, atque infecti pondera ferri;
Quo faber obtuſi dentem procudat aratri,
Et ſolidam nigræ maſſam picis, atque ligones
Comparat, & curvo lunatam tergore falcem,
Runconeſque, quibus ſequitur vepreta, ſecures
Et cultros, quibus arboreum compeſcere luxum
Poſſit, & arentes trunco reſcindere ramos.
Nil emit illorum quæ vel naſcuntur in agro,
Vel fieri poſſunt, non lento vimine corbes,
Linaque, & agreſtem tortâ de cannabe telam,
Non ſoleas, quas ipſe rudi dolat arte, Caprinâ
Non ocreas è pelle, quibus defendat acutis
Crura rubis: vendax etenim diteſcit; emacem
Agricolam contrà miſerabilis urget egeſtas.
Villici officia erga dominum. Scripturæ rudis & rationum, ſæpius affert
Ad dominum pactos, quàm ſcripta volúmina, nummos;
Atque illo veniente, timor nihil arguit intus.
Diſciplina domi viget inculpata; foriſque
Cuncta nitent bene culta: Boves armentaque rectè
Paſta: novus limes, nova non fit ſemita campis.
Non hortus, non prata ſiti morientia languent:
Surgit opima ſeges; defenſaque ſepibus arva
Vel ductis circùm foſſis clauduntur; herumque

Villicus agrorum partes deducit in omnes ;
Exultatque animis illo laudante , ſuumque
Nemine vicinos inter culpante laborem ,
Vel pravos mores , occultaque furta ſuorum :
Et quanquam bellis Dominus vel lite moleſtâ
Implicitus procul abſuerit ; non arva Colonus
Segnior exercet ; nec Heri præſentia curas
Acriùs extimulat quàm mens ſibi conſcia recti.
Hoc abſente rei patriæ non parcere Natum ,
Sed populatrices comitum rus ducere turmas
Clam dolet ; annonam nec cautiùs abderet omnem ,
Si deſolandas irrumperet hoſtis in ædes.
  Sic Ithacæ quondam poſt mille pericula portum
Cum tetigit ſenio faciem mentitus Ulyſſes ,
Intravitque ſuam peregrinus & hoſpes in aulam ,
Omnia contemplans furtim , nec cognitus ulli ;
Unus erat qui , res magno turbante tumultu ,
Eumæus dominum triſti ſermone requirens ,
Sulcandis inſtabat agris ; graviterque dolebat
Quòd fœcunda Procos alerent armenta rapaces ,
Atque ſuo tellus non fertilis eſſet Ulyſſi.
  Proviſor non multa rogat , ne multa viciſſim
Finitimi repetant : aliena negotia vitat ;
Nec niſi quæ domini , ſua credit ; iniqua perhorret
Furta ; ſuique tenax , alienis abſtinet , æqui
Sic rigidus cuſtos , ut famoſiſſima pagi
Jurgia componat judex ; ignaraque legum ,
Non recti juſtique , ſecet prudentia lites.
  Ille ſuos hominum fortunatiſſimus agros
Diligat , obſcuro poſitus qui rure Colonus
Exiguus voti , parvoque aſſuetus , edaces
Aut curas aut ſpes animo non paſcit inanes ,
Non hunc ſollicitat dominandi ſæva libido ,
Ut leges alibi cupiat quàm rure , ſuiſque

De fortunata agricolarum vita.

Arboribus dare: non amor irrequietus habendi,
Ut medios auri ſit egentior inter acervos,
Uſquè novis inhians opibus ſine fine parandis;
Non ſtudium faſtuque tumens doctrina ſuperbo,
Ut quid ſcire velit quàm rectè vivere, paſtos
Quàm curare Boves, quàm noſſe faventia terris
Sidera, ventorum mores, & tempora meſſis.

Ille nec invidiæ patet, aut livore viciſſim
Carpitur occulto; nec jam popularibus auris
Evehitur; ſummo nec honorum culmine lapſus,
Monſtratur fragilis documentum triſte favoris.
Non metuit lites dubias, ſorteſque ſeveri
Judicis, indomitas animæ non vindicis iras:
Non alios, non ſe timet ipſum: non ſua mœror
Gaudia, non epulas faſtidia lenta ſequuntur.

Agreſtes operas obit indefeſſus; humoque
Semina nunc mandat, nunc debita dona repoſcit.
Inde vigor membris, & neſcia vita podagræ
Morborumque, parit quos deſidioſa voluptas:
Dulciùs hinc ori ſapit eſca, labore diurnam
Obſonante famem: faciles in cæſpite duro
Hinc veniunt ſomni; lecto quos dives ab aureo
Nequicquam profugos invitat; mollia pernox
Strata ſuper vigiles curas & membra volutans.

Agricolarum vita fortunatiſſima.

An præſtat rupto naturæ fœdere, terris
Quem Deus abſciderat, fragili rate currere pontum;
Et levibus cum re vitam committere ventis,
Atque alio (volucrum ritu) ſub Sole jacentes
Ire redire plagas, animamque impendere lucro.
An cupidus famæ quis fortunatior urbem
Incolit, & circumvolitans ingrata Potentum
Limina, vel ſervis ipſis blanditur; emitque
Imperium miſero famulatu; perque pudendum
Dedecus, ad ſummos iter inveſtigat honores;

Vel rerum vacuos per mille negotia ſoles
Condit, & officiis conſumit inanibus ævum.
Vendere num ſatius clamorem, operâque forenſi
Inſontes unâ defendere voce reoſque;
Cauſidici vel ad arbitrium rixantis acerbè
Triſtibus affigi ſoliis, alienaque propter
Jurgia privatis animum ſubducere rebus.
Crudeli pietate datis num credere nummis
His etiam inviſum quibus auxiliabere fœnus;
Aut ex militiâ prædam cepiſſe cruentam,
Et lacrymis luctuque virûm diteſcere malle,
Quàm ſpoliis ab humo ſine vi ſine crimine raptis.
1. Felices equidem, ruris ſi commoda norint,
Virgilius canit Agricolas; at ſidera noſſe
Mallet, & occultas naturæ accedere partes.
Egregiam verò ſortem! quâ rebus in uſum
Lætitiæ natis animum cruciaret; & orbes
Anxius æthereos cæli ſcrutator obiret,
In varias cogens, inſtar Ducis, aſtra cohortes;
Dum fruitur ſtellis & amicâ nocte Colonus.
Hic læto ſub Sole Boves per prata vagantes
Aſpicit; & terræ florentis imagine gaudet.
Ille acuens vitro ſpeculari lumina, floris
Quæritat in gremio putrive cadavere, nudis
Quæ nequeunt oculis animalia parva videri.
Ruſticus herboſo reſidens in littore rivi,
Non caput & cæcas ſub humo rimatus aquarum
Ancipiti ratione vias, accerſit ab alto
Perpetuos pelago fontes; ſed concavat ambas

1. *O fortunatos nimiùm ſua ſi bona norint*
Agricolæ . . . . .
Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ
Accipiant, cælique vias & ſidera monſtrent . . .
Virg. Georg. Lib. 2.

In pateram palmas ſitiens, dulcem ve liquorem
Ore bibit prono, lympham miratus euntem;
Seu ſtrepat obſtantes vix eluctatus arenas
Rivus inops, pleno ſive ambitioſior alveo
Inſultet ripis, atque obvia ſaxa laceſſat:
Nam neque quâ pluviæ, quâ ſint ab origine fontes;
Noſſe ſuum eſt, ſed quâ rivos agat arte per hortum,
Et quibus inſtantem ſignis præſagiat imbrem.

Neſcit in humanis quorſum nunc frigore membris
Nunc alternanti febris deſæviat æſtu:
Sed quibus auxiliis, & quâ curabitur arte
Non latet; & quanquam Medicus nihil ampliùs addat;
Poſt ſectas ferro venas, fuſumque cruorem,
Imaque Malvarum miſſos in viſcera ſuccos,
Et contra varios eadem data pharmaca morbos;
Ille ſalutiferis febres & vulnera ſanat
Stirpibus aut foliis, neque ſenſu torquet amaro
Labra, nec epotis premit inteſtina venenis.

VILLICA. O! tibi quàm vultu riſit fortuna ſereno
Ruſtice; ſi vitæ comes obtigit atque laborum,
Quæ ſtudioſa ſuas peragat quoque Villica partes,
Non ſomno pigra, non epulis non dedita vino,
Maturamque gerens juvenili in corpore mentem.

In commune bonum cum conjuge ſponſus amicis
Conſpirant animis: ſoles & frigora forti
Perpetienda viro, quem rerum ſumma poteſtas,
Quem penes eſt cultura ſoli; ſociata penates
Suſtinet, & curis inſtat levioribus uxor.
Imperat alter agris; regit interiora domorum
Altera: vir operâ ſervos exercet agreſti;
Sponſa fatigatos paſcit; ſata læta maritus
Educat, & multo cererem ſudore recondit;
Advectaſque domum conſervat fœmina fruges.
Et quia fida metu cuſtodia creſcit ab ipſo;

Idcirco timidam fecit natura, virumque
Audacem, & duros natum tolerare labores:
Alterius ſic alter eget, ſic ruris opimas
Mutuus auget opes amor & concordia vitæ.
Villica ſtramineos componit rite penates; *Villica domum inſtruit.*
Et quanquam nudus paries humiliſque; nitenti
Paupertate placent ædes & ſimplice cultu.
Non ebur aut aurum, ſed penſilis uva lacunar
Contegit: argento non ambitioſa renident
Vaſa, nec inſignes tabulæ, nec ahenea ſigna;
Sed ſcutulæ, vitreuſque calix, & ſtanneus orbis;
Atque Faventinæ lances, ſervata ſupellex
Nobilis adventum vel ad hoſpitis; annua pago
Vel cùm feſta dies redit; aut cùm rura reviſens
Incomitatus adeſt dominus, faſtuque remoto
Gaudet honoratis unà conſidere menſis.
Grandia terga Suûm, nec non redolentia latè
Allia, & in varios Cepe religata maniplos,
Rugoſæque nigris pendent laquearibus uvæ;
Villica quo mavult agrorum munere prolem
Paſcere, quàm pictis oculos recreare tabellis.
Linteolo tectam componit veſpere menſam
Ante focum, ſi frigus erit; ſi ferveat ardor
Sirius, igne procul portæque patentis ad auram;
Vel jove ſub nudo, patulæ vel ad arboris umbram.
Quid memorem quantùm mulier ſtudioſa laborat *Victum comparat.*
Ut facili paret arte cibos; nec pinguia deſint
Larda domi, neque caſtaneæ, paſſique racemi, *Ubi de conditura uvarum.*
Quos, Hyemis memor, Autumno ferventia binos
Vel ternos in ahena manu demittit; & ignem
Suppoſitum tolerare jubet, dum pallida rugas
Uva trahat, cineriſque calens lixivia crudos
Excoquat humores intus: tum dulcis olivi
Inſtillat guttas aliquot de paupere cornu,

Quò guſtu melior, quò pinguior uva niteſcat;
Securam dein à pluviis & rore madenti,
Longâ crate ſuper, muro ſubtendit aprico,
Vimineiſque premit ſiccatam Sole caniſtris.

De conditura Malorū Cydoniorum & Olivariū.

Præterea calido, vel (1) Mala Cydonia muſto
Incoquit; aut liquidi ſaturat. dulcedine mellis;
Et tenui virides cultro decuſſat Olivas:
Inciſuræ ſalem recipit, mixtoſque virentis
Fœniculi, Menthæque brevis, Laurique ſapores.

De ſalſura ſuillæ carnis.

Cùm redeunt à glande Sues pinguedine tardi,
Claudit harâ, liquidoque cibo potuque necandos
Atque volutabris, ut ſit caro ſiccior, arcet.
Hora ſaginato cùm fulſerit ultima Porco,
Ne longis moriens feſſas grunnitibus aures
Offendat vel dente manus; huic ſpiritus oris
Obſtruitur, jugulumque rubro mucrone reſolvunt.
Stat circumſpiciens rivos mirata cruentos
Progenies, mirata Suem ſine voce jacentem,
Pulſantemque tamen ſingultibus ilia crebris.
Hirſutas operæ patiens vel dextera ſetas
Detrahit, officio lymphæ ferventis; eaſdem
Abs radice levi vel adurit flammula culmo.
Intima tum calido nudantur viſcera ferro.
Bis quinos eſt cura dies in tergora largum
Inſarcire ſalem, & vaſtum ſuperaddere pondus;
Dein pernas lardumque nigris ſuſpendere tignis,
Quò veniant calor, & vicino fumus ab igne.

Villicæ labores agreſtes.

Sub placidis Soles ita condit Villica tectis;
Et niſi votivum domibus procul ire ſacellum
Relligio jubeat, non errabunda penates
Deſerit, ut vanis alibi terat otia nugis.
Blandos uſquè lares fovet; & ſi tempora poſcunt
Ut gravibus mutet fuſos & ſtamina raſtris,

(1) *Coins.*

Non æſtus, non acre gelu deterret euntem;
Sive legenda ſolo ſit pinguis oliva rigenti;
Ignivomo ſeu flava ſeges ſub Sole metenda.
Inſtanti cùm plena tument quoque viſcera partu,
Æquat humum raſtris; ſegetem naſcentibus herbis
Liberat; in longos religat ſarmenta maniplos;
Et duri patiens ita ruris, amanſque laborum eſt,
Inter ut agreſtes operas enixa, marito
Progeniem referat, quam non peperiſſe, ſed agris
Inveniſſe putes. Proh! quàm ſub paupere tecto
Ruſticulus fatis alitur felicibus infans!

Non aliena parens ſinat ubera ſugere prolem: *Ruſticanorum puerorum educatio.*
Gaudet enim cum lacte ſuos traducere mores
In pueros; & habere domi qui blanda viciſſim
Accipere, & dulci velit oſcula reddere matri,
Plaudentique patrem redeuntem veſpere riſu
Noſcere, & amplexum cupidis ambire lacertis.
At puer ingenuus qui ſub laquearibus aureis
Exoritur, triſti patrios mutare penates
Cogitur exilio; poſitoque puerpera fœtu
Fœmina dives opum ventris cum pondere matrem
Exuit; atque Boum mugitus inter alendam
Rus aliquò ſobolem dominâ procul urbe relegat;
Quæque cani ſugenda dabit, negat ubera Nato.
Gibbere, diſtortis fœdum vel cruribus, annos
Poſt aliquot, puerum recipit, quem plurima paſſum
Non oculo novit, non pectoris indice motu.

Suſceptam ruri contrà pia Villica prolem
Uſquè domi fovet; & teneris impendit alumnis
Quos natura ſinus implevit lacte tumentes.
Quò ſe cumque ferat, gremio puer oſcula circum
Pendet; iterque levat gratiſſima ſarcina: matris
Inter opus, tellure jacet ſine fletibus infans;
Et tenero jam tum Soles aſſueſcit in ævo.

Ruſticanorum puerorum educatio.

Naturam ſequitur genitrix ſtudioſa magiſtram :
Amiſſos videt ut fœtus genus omne Volucrum
Defleat ; ut rapto Vitulo queribunda per altos
Vacca parens ſaltus erret , mugitibus auras
Impleat , & ſtabulum jam Sole cadente reviſens
Grandibus ora riget lacrymis , nec lympida curet
Flumina , nec pinguem , Vituli memor unius, herbam.
Audit & abſentem quantis balatibus Agnum
Mœſta requirat Ovis , quàm gaudeat ubera proli
Veſpere plena ferens : Agnos miratur ut inter
Mille , colore pares habituque & voce , tenellam
Agnoſcit ſobolem mater , ſobolesque parentem.
Villica rure videns hæc paſſim exempla , putaret
Eſſe nefas in amore Feris ſi Fœmina cedat.

Ruſticus Agreſtes puer informatur ad uſus :
Vix pedes ire poteſt , & jam tractare ligones
Incipit ; & patrio aſſurgit robuſtus honori.
Nondum operas puer exercet , ſed teſtis in agro
Aſſiduus verſatur ; amat diſcitque videndo
Difficilem ruris culturam ; jamque patriſſans
Suſtinet abſentis partes genitoris , & ore
(Brachia ſi nequeant) opus imperioſus adurget.

Interea , varia pro tempeſtate ſolique
Ingenio , proprias Natum Pater edocet artes ;
Multa monens pluviæ inprimis frugumque datorem
Ut precibus votiſque Deum veneretur ; & aris
Afferat occulto puram ſine crimine mentem ;
Imperitet terris , ſed pateat uſque potenti
Terrarum domino , tempeſtateſque ſerenas
Oret , & adverſas contra præmuniat agros :
Feſta piè celebret ; quod lex vetat , omne doloſâ
Ceſſet opus ſine fraude domi ruriqne ; laborum
Ipſe quoque immunis Bos prata per herbida feſtus
Ambulet , & poſito vires confirmet aratro.

Vicinos

Vicinos amet Agricolas, & ne quid eorum
In pecora & ſegetes committat; ut arva viciſſim
Illius & pecudes ſervent, fureſque repellant.
Invideat nulli; ſed quas miratur opimas
Alterius ſegetes tentet ſuperare colendo.
Ambiguas vitet lites, quæ civica bella
Victori victoque parem dant ſæpe ruinam.
Officiis quantùm poterit bonus adjuvet omnes;
Sed ſibi nec multos neque nullus quærat amicos.
Non in amicitiis quantùm in tellure reponat:
Hanc colat inprimis; hinc ſpes certiſſima: vaſtos
Laudet agros, amet exiguum. Fœcundior, inquit,
Eſt brevitas culti ruris, quàm millia fundi
Jugera, quæ rerum pauper nec vomere poſſis
Aſſiduo verſare, fimo nec ſpargere pingui:
Pugnat enim, ſterileſque citans cùm prævalet herbas,
Allidit dominum tellus; niſi ruſtica cogant
Arma reluctantem vigili parere Colono.

Ruſticanorum puerorum educatio.

Parce peregrinos cultus tentare, novaſque
Explorare vias: imitare quod approbat uſus.
Pone modum votis; nec opum te dira cupido
Pauperieſve doment: obſtat virtutibus auri
Sacra fames, ſcelerique animos inclinat egeſtas;
Atque ubì res eſt arcta, ſuis vel pauper amicis,
Vel ſibi paupertas oneri eſt: hanc inter opeſque
Sic medium inſiſtes iter, ut nec Pagus habenti
Invideat, neque te rurſum miſereſcat egentem.

Conductis ſegetes operis oleæque legantur;
Nec plures alito famulos, quàm rure colendo
Exercere potes. Ne partibus aſpera factis
Conſurgant odia, & bellum ſervile; quietos
Elige, nec plures illa de gente miniſtros,
Quæ patriæ telluris amans popularibus unis
Jungitur, ac miſero, reliquis inimica, tumultu

Miſcet Heri ſciſſas animis diſcordibus ædes.

Servitia exemplis moderare; magiſque ſilentem
Te famuli metuant, rabidâ quàm voce tonantem;
Crudelemque domus non deteſtata, ſeverum
Formidet dominum, ſed amet magis æqua jubentem.

A famulis ut amere, tuo quaſi ſanguine natos
Dilige; nec dulci frauda mercede: fideles
Ut facias, confide: manus ad furta rapaces
Cautior invitat cuſtos. Herus omnia norit,
Multaque diſſimulet; ſanos exerceat, ægros
Sollicitè foveat ſervos: placet omnibus, uni
Quidquid opis datur invalido; ſtimulusque laboris
Optimus eſt amor in dominos ſtudiumque placendi.

Sic puerum inſtituit pater; & vergentibus annis
In ſenium, valeat quanquam, nec ſegnis inerſque
Mens ſit ad imperium, nec dextra laboribus impar,
Dat tamen agreſtum nato moderamina rerum:
Ut quem cura manet ruriſque domûſque regendæ,
Conſiliis uſus patriis, formetur ad artes,
Quas alii diſcunt peccando multa; quietis
Non ut amans, vitæ genitor ſe tradat inerti.
Filius exemplis opulentus & arte paternâ,
Ruris in imperium ſuccedit; & ubere tellus
Meſſe ferax, dominum non ſentit abeſſe priorem.

Ruſticana puella. Grandior & plenis jam filia nubilis annis
Exercet rigidos unà cum matre labores;
Nec pudet & raſtros, durumque movere bidentem.
Purpureâ non veſte nitet, non crinibus emptis,
Nec raris Arabum donis, aut divite cultu;
Fœmineoque licèt ſtudio formoſa videri
Rure velit, faciem nullâ juvat arte; ſuaſque
Prata die feſto quærit per florea gemmas,
Ad vitreum crines ornans & tempora rivum,
Simplicitas capiti pro turribus inſidet, ori

Pro fuco pudor ingenuus ; ſociaſque laborat
Vincere , non formâ , ſed robore corporis : illâ
Quæritat , & ditem reperit ſibi dote maritum.
Dulcis enim cùm jam primos Hymenæus amores
Sollicitat, vincloque parat ſociare jugali ;
Cùm Procus innuptæ , pueroque puella viciſſim
Par ætate placet ; captent ut tempora fandi
Opportuna , legunt in eadem vite racémos ,
Flaventeſque ſecant uno ſimul æquore meſſes.
Aggreditur primos ,operum dux fœmina , ſulcos ;
Atque Proco placitura ſuo , præcurrit anhelos
Agricolas ! illam tacitâ dulcedine lætus
Spectat amans , gaudetque ſequi non poſſe metentem;
Sæpe nec ingratis ultro remoratur amicam
Queſtibus , increpitans ſpicas tellure relictas ;
Ut vultus oculoſque retro convertat in ipſum.
Meſſores reliqui ſomno , ſed dulcibus ambo
Colloquiis fractas reparant poſt prandia vires :
Jamque animo inſtituunt , quâ lege feracibus agris
Imperitent , placidoſque regant in pace penates.
Cùm jam notus amor patribus , dignique videntur
Conjuge vir conjuxque viro ; deſponſa parentes
Continuò certis firmant connubia pactis.
Tum vel amicitiâ juncti vel ſanguine totis
Undique concurrunt pagis , & agreſtia ſecum
Dona ferunt , tædaſque parant celebrare jugales.
Expectata dies ubì jam proceſſit ; & albâ
Cunctantes manet impatiens in veſte ſacerdos :
Ante fores , ipſoque domûs in limine , ſponſi
Procumbunt in genua : parens utriuſque madentes
Procedit ſiccans oculos ; & amore paterno
Præmia digna , manum tollens cum voce , precatur.
Templa petunt , vittâ ſponſus bicolore galerum
Ornatus , virgo vultus dejecta modeſtos ,

Ejus nuptiæ.

Atque novis ſudore madet ſub veſtibus : ambo ,
Numine teſte , ſacro conjungunt fœdere dextras
Sole nigras , quanquam purgatas furfure multo ,
Tympanaque & cytharas inter , clamoſa juventus
Deducunt , ſponſum pueri , nuptamque puellæ.
Tum priſco de more jubent utrumque ſedere
Ulmo ſub patula , mediis quæ publica pagis
Umbra viret : magnâ ſpectantum aſtante coronâ.
Junior hinc virgo cerealia grana refundit
Conjugis in caput , & tacito ſuffuſa rubore ,
Votum pro thalamis , & fertilitatis honore
Perſolvit , dulceſque refert in corbe placentas.
Inde juventa procax auſit garrire virorum
Sorte ſuper ; vocem niſi protinus ære ſoluto
Comprimat , atque merum vir connubiale rependat.
Interea ſtructis fumant convivia menſis ,
Lauta quidem , nullo tamen exornata macello :
Hædus enim Vervexque , fames quo prima domatur ,
De gregibus venere ſuis ; pulloſque tenellos ,
Gallinas Anateſque diu ſervavit in illam
Parca Colona diem : menſis nec poma ſecundis
Caſtaneæque nuces deſunt , nec copia lactis.
Quas epulas non vina modò , ſed pectine duro
Pulſa chelis , fracti calices , riſuſque ſoluti ,
Carminaque & varii ductâ pro conjuge cantus
Exhilarant : menſas choreæ , ludique ſequuntur ;
Et feſtum viſenda tenent ſpectacula pagum ;
Quorum finitimos rumor diffuſus in agros
Non aliis vacuas ſermonibus occupat aures :
Gaudet enim fauſtam non invida creſcere prolem ,
Et patribus ſimiles ſperat vicinia natos.

pag. 53. *III. Lib.*



PRÆDII RUSTICI

LIBER III.

Pecora majora.

NON ſatis eſt terris fortes quæſiſſe movendis
Agricolas, opus eſt pecudum quæ vomere ſcindant,
Et pingui macros ſaturent lætamine campos.

Qui longas amat ire vias, aut horrida Martis — Equus.
Caſtra ſequi, tenerâ facilem cervice domari
Fingat Equum; doceatque pedes & mollia crura
Compoſito glomerare gradu, ſpumoſaque frænis
Ora regens, plano vel in æquore curſibus acrem
Calce citet, preſſis vel in orbem flectat habenis,
Aut molli placidum jubeat procedere greſſu.
Eſt alios nobis Bos inſtituendus ad uſus, — Bos.
Difficiles aret impulſo qui vomere terras,
Luctanti vel plauſtra trahat ſtridentia collo.
Elige qui magnâ moveant ſe mole Juvencos,
Cornua queis procera, caput deforme, reſimæ
Nares & patulæ, compacta toroſaque cervix,

Hiſpida frons, aures hirtæ, palearia mento
Pendula, nervoſum corpus denſumque, benignum
Ingenium, miteſque truci ſub imagine mores.
VACCA. Torva minùs facies, tactu mollíſſima pellis,
Crus modicum, breviorque pedum decet ungula Vaccam:
Cætera ſit Tauro propior; ſint grandia membra,
Pectus grande, torus ſublimis, & ardua cervix,
Fœturæque capax uterus; palearia circum
Genua fluant, & cauda pedes fundatur ad imos,
Frontemque oſtentet ſpecioſam cornibus altis.
BOS. Bos unum tremat ad ſtimulum vocemque Bubulci;
Nec vanos metuat ſtrepitus, nullaſque recuſet
Ire vias: ea ſit fiducia roboris, ut nec
Auditu pavidus neque viſu, interritus urbem
Et tremulum ſubeat pontem fluvioſque ſonantes.
Per virides ſaltus Taurorum libera quondam
Errabant armenta, jugi ſecura; priuſquam
E patriis humana Feras induſtria ſylvis
Duceret; & longo juſſas manſueſcere cultu
Imperii dociles faceret: tum brachia foſſor
Verſandis adhibebat agris, neque jungere Tauros
Norat adhuc, nec Equo ferri; domibuſque receptos
Informare Canes, Vituloſque apponere menſis:
Sed veluti grandes nos in convivia Cervos
Et pavidum canibus Leporem venamur & Aprum:
Sic Ove, mactato nemorum ſic hoſpite Tauro,
Gens antiqua virûm menſas onerare ſolebat,
Et nudis informem humeris circumdare pellem.
Quos dederat ritus homini Natura recenti
Servabat fera gens, (1) Aſiæ borealis ab oris
Quæ nemorum per opaca novum penetravit in orbem:

(1) *Ab Aſia in Americam contiguam venere, qui alteram mundi partem frequentarunt: hanc ſequitur Autor multorum opinionem, quæ ſibi ad veritatem magis accedere viſa eſt.*

Indulgebat enim duris venatibus, arcu
Expediens victum. Primas Hiſpania poſtquam
Intulit hæc in regna rates; equitemque ſub armis
Oſtendit prior, & junctos ad plauſtra Juvencos;
Incola non homines, alto ſed ab æthere lapſos
Adveniſſe ratus Superos, his paruit ultro
Qui dociles ad juſſa Feras habuere; virûmque
Exiguæ ceſſit manui pars altera mundi.

Sylveſtres ſtabulis animalia cætera mores
Depoſuere: Boves aliquid feritatis avitæ
Semper habent; primiſque niſi domitentur in annis,
Stridula vix ſubeunt collo dein plauſtra rebelli. *Boum domitura.*

Jam Vitulus palpantis Heri conſueſcat amicam
Ferre manum, nexaſque pati per cornua frondes,
Triſte rudimentum preſſuri grandia quondam
Colla jugi: tribus exactis poſt meſſibus, anno
Naſcenti, vemiſque priùs quàm Buculus herbis
Luxuriet, trimum ſubiges: nam deinde repugnant
Imperio medii vel robur & impetus ævi,
Vel pigra ſegnities, flectique ignara ſenectus.
Indomitos animi motus, ac totius iram
Sævitiæ porcinus adeps & vina reſolvent;
Et quo mens hominum furit efferа, Taurus Iacho,
Plenior, innatos dediſcit mente furores.

Si vino dapibuſque datis, ſi nomine blando
Compellans nihil obtineas, in vincla rebellem
Conjicies; ſaturiſque Bovem præſepibus arcens,
Ingenium per longa ferum jejunia vinces.

Torvà tuens, cælo dum cornua fune revincta
Jactat, & in ventos iras effundit inanes;
Cautior accedes: nam ſi te calce petitum
Amoveat, mentem ſucceſſu lætus iniquam
Roborat; atque fit confidentiſſimus audet
Detrectare jugum, cornuque in vulnera prono

Boum domitura.

Intentare minas, rigidumque impingere calcem.
Mitia colla gravi poſtquam ſubmiſit aratro,
Nullos deinde negat placidus tolerare labores;
Terribiliſque (ſuas norit ſi Bellua vires)
Vel pueri pavet ad ſtimulum vocemque minantis.
Ergo ubì (1) pellito jam ſuppoſuere Juvenci
Colla jugo, ſint qui retinacula lorea retro
Contineant: præeat domitor, ſtimuloque fatigans;
Æquali doceat junctos incedere paſſu.
Pondera prætentet leviora, ſolumque ſubactum
Vel ſterilem facili ſulco moderator arenam
Exaret; ignaros operum ne fortè Juvencos
Terreat, aut molles quaſſet labor improbus artus.
Indocilis cùm Taurus agrum deformat arando,
Confunditque vagos ſinuoſo limite ſulcos;
Jam domito validoque Bovi conjungitur aſper;
Quem procurrentem retrahit vetus, urget inertem;
Et conferre pedes jubet ac parere Bubulco:
Fumoſis tumidas licèt efflans naribus iras,
Proſiliat tentetque jugum dirumpere Taurus.
At ſi fortè malo, quod vi non præſtitit, aſtu
Tentet, & in mediis jaceat cerebroſior agris;
Suppoſito non igne latus, nec tergora plagis
Ure; ſed indomitum vinclis conſtringe Juvencum;
Ut nec ſtare queat neque veſci: namque periclo
Cautior ipſe ſuo nuſquam dein ſponte jacebit
Inter opus, ſtomacho monitore fameque magiſtrâ.
Hac etiam ignaros operum domat arte Bubulcus:
Conjungit tres una Boves ad aratra: duorum
Arbitrio medius, veteranos inter, agreſtem
Molitur patiens operam, pauciſque docetur
Verberibus juſſos ultro durare labores.
Ad juga coge pares annis & robore Tauros;

(1) *Jugum pelle tegitur, ne mollia Vitulorum colla lædat.*

Viribus ut juncti ſulcent æqualibus arva.
Conficit invalidum fortis; vel, ut ipſa Ferarum
Ingenia in vitium labuntur prona, valentem
Cogit ad ignavos pigrior deflectere mores.
Sublimes ut eant ſpecioſiùs inter arandum
Altâ fronte Boves, neque tanto pinguia niſu
Rura ſecent, loro ſeptemplice jungat Arator;
Cervicique jugum non cornibus illiget: ipſo
Plus etenim collo poſſunt & pectore Tauri
Quàm capite & cornu: toto ſic pondere, totâ
Mole lacertoſi nituntur ad intima terræ
Viſcera, nec tenſâ graviter cervice laborant.
Attritos autem manus officioſa Bubulci,
Propellens hinc inde jugum, refrigeret armos;
Ne damnoſa tepens invadant ulcera collum.
Supremo quos ſole Boves disjunxit arator
Fontibus & ſaturis abigat præſepibus, artus
Dum fluido ſudore madent: fumantia fœno
Colla fricet, coſtaſque manu detergat amicâ.
Unanimes faciunt operum conſortia Tauros; *Mutua Boum amicitia*
Eſt & amicitiæ ſua vis, animalia dulci
Fœdere quæ longo vitæ conjungit ab uſu.
Nonne vides ſocios per pinguia prata Juvencos
Carpere communes herbas, ad flumina paſtos
Ire ſimul, mediis unà decumbere campis,
Et lento ſub dente cibos revocare terendos.
Magnanimo quanvis armatam in prœlia frontem
Præbucrit Natura Bovi; ſylviſque vagantes
Aut ſtabulo clauſæ pecudes in pace ſub iiſdem
Vix habitent tectis, & Ovi quoque debile cornu
Pruriat in pugnam; convivæ nulla Juvenci
Bella movent: animis agitant concordibus ævum,
Oſcula quin etiam jungunt, feſſumque ſoluti
Cùm poſuere latus formoſo in gramine, molles

Blanditias adhibent ; & amicam ferre viciſſim
Novit opem grandi dens officioſus hiatu ;
Alter ut alterius prurigine liberet armos.
Stridula contentis unà cervicibus ambo
Plauſtra trahunt, totâque ſimul nituntur opum vi :
Officio certare putes, & utrumque ſodali
Velle ſuo gravium ſolatia ferre laborum.
Jejuno ſi fortè Bovem Lupus ore laceſſens
Terga fero laceret morſu ; mugitibus alter
Excitus, auxilio jam non piger advolat, hoſtem
Fronte petit, vacuoque jubet decedere ventre.
Hos ubi diſſociat mors immatura, Juvencus
Qui ſupereſt triſtes amiſſo compare queſtus
Ingeminans, lacrymis fraternum funus obortis
Proſequitur, gemituque replens circumvagus auras ;
Contriſtat magis Agricolam nova damna timentem ;
Ne dolor hunc etiam abſumat, qui neſcius herbæ
Dat gemitus triſtes, & fletu paſcitur uno.
Bos ſenior. Solve ſeneſcentem Taurum, qui liber aratri
Paſcua læta petens, poſtquam te juvit arandis
Vivus agris, ipsâ proſit quoque morte, macello
Venditus, & vitæ finem ſortitus iniquum :
Namque gravi conſors operum qui vomere tecum
Exercebat agros robuſtus & integer ævi,
Debuerat fatis ſenior melioribus uti.
Emeritus Bos prata terit ; permiſſaque ſecum
Otia miratus, lætis pingueſcit in herbis,
Neſcius heu ! letho quàm triſti debita cervix ;
Cui gravis impendet frangendo clava cerebro.
Non aliter rebus felix qui ſæpe ſecundis
Intumuit, gaudens animis exultat avaras
Inter opes ; & fortunæ malè credulus, altas
Spes animo verſat, dum Mors jam proxima dextram
Extulit armatam crudeli falce ; beatum

Ut caput & vanas uno ſpes abſcidat ictu.
Arva colunt & Aſellus iners, & Mula biformis; ASINUS.
At neque difficiles veniunt ad aratra, ſed ultro
Accipiunt cervice jugum, verſantque ſolutas
Vomeribus terras, & plauſtra gementia ducunt.
Parcior eſt Aſini victus faciliſque: laborum
Atque famis patiens, foliis herbâque paluſtri
Veſcitur, objecto ramorum faſce, rubiſque
Et paleis etiam gliſcit; neque novit inertes,
Qui majora ſolent armenta invadere morbos.
Non operum tamen ulla quies: nam quidquid in urbem
Vel ſub tecta ferant, miſerandæ ſortis Aſellus
Semper adeſt, omnem qui ſeſſile præſtet in uſum
Tergus & immiti duratas verbere coſtas.
Mancipiis autem natus licèt ille vehendis,
Geſtitat & Dominas, queis nondum priſca parentum
Simplicitas odio eſt: ſtricto non ora capiſtro,
Sed levibus flectunt virgis; Aſinuſque ſuperbus
Auratis phaleris atque ipſo pondere, cœptum
Urget iter, lentas nec jam movet indecor aures.
Sæpe ſuî tamen oblitus, petulantior abdit
Inter genua caput; ſimul & ſinuoſa retorquens
Membra procax, dorſum movet in ſublime, ſedili
Excutiens equitem, cœno quem mergit in alto;
Accitamque rudens vocat ad ludibria plebem.
Interdum mediâ ſeſſorem detinet urbe;
Et luteos rodit caules frondemque ſalignam,
Irrequieta parum curans hortamina vocis,
Inflictaſque ſibi nodoſo robore plagas.
Mula Ruthenenſis, mixtum genus, atque biformis MULA.
Progenies, ab utroque refert nonnulla parente:
Nam patiens operum eſt, & victu parca, pedumque
Mobilitate viget, dorſo nec ferre recuſat
Pondera, nec gravibus collum ſubmittere plauſtris.

MULA. Jugera plura colent grandes, par nobile, Mulæ,
Quàm juga terna Boum; pinguis niſi gleba requirat
Acre miniſterium, natoſque ad fortia Tauros:
Neſcia difficili nam cedere Mula labori
Rumpitur, arentes nequeat ſi frangere glebas.
Illa viatorem dorſo phalerata quieto
Accipit, & placidos alacris per acerba viarum
Tendit inoffenſo pede greſſus. Utile pulchro
Anteferens; veteriſque tenax Hiſpania moris,
Nunc etiam Mulâ vehitur; pugnandaque Martis
Ardentes quos nutrit Equos ad prælia ſervat,
Non curans quàm turpe caput, quàm longior auris,
Sed quàm pes agilis, paſſus quàm mollior, unâ
Quàm pingues paleâ Mulæ culmiſque niteſcant.
O! ubi Francigenûm veneranda modeſtia Patrum,
Quos ætate graves ad ſacrum Mula Senatum
Ipſa gravis ſenio portabat; & inter eundum
Tempora inempta dabant facileſque Clientibus aures;
Atque miniſteriis ut pluribus aptior, idem
Servus erat portæ cuſtos, & Agaſo, Coquuſque;
Per varias ſic Mula vices & ephippia geſtans
Clitellaſque ſuas, domino quod ſeſſile tergum
Præbuerat, dabat & ligno ſegetique vehendæ,
Nunc humilis patiens operæ, nunc læta per urbem
Confidente ſimul cum conjuge ferre maritum.
Non opibus, quas luxus iners populatur, inani
Sed faſtu ſuperamus Avos; nec habetur ad uſum
Sed magis ad pompam, famulantum turba; gerendis
Quos ſatius foret aut bellis impendere vires,
Aut patrio duros aſſueſcere rure labores,
Infamare ſuam quàm longa per otia vitam,
Et dominis afferre magis quàm demere curas.
Non ſatis eſt quòd plus ſtabulis impenditur auri,
Quàm menſis tribuatur; Herum quòd currus ovantem
Auratus

Auratus vehit; & Natis ornatior ipſis
Circunſtat rhedas utrinque ſatelles; Equorum
Officiis ſervus ſucceſſit; & immemor ortûs
Vir hominem collo gerit; humanâque per urbem
Non pudor eſt cervice vehi, tantumque Deorum
Editæ in effigiem Naturæ intendere probrum.

Sed quid ego hanc animis hominum detergere labem — BOUM MORBI.
Aggredior; pecorum morbos, uſumque medendi
Utiliore ſequar curâ: Bove diſcat ab uno
Ruſticus armentis medeatur ut omnibus: ægras
Nam neque fas pecudes, neque caſus ire per omnes.

Sæpe cibos faſtidit iners, & pinguia Taurus — *Cruditas.*
Prata tenens, lætam nec edit nec ruminat herbam,
Se neque deterget linguâ; ſed inertia ponens
Membra ſolo, caput huc triſtis convertit & illuc,
Circumagit caudam, cælum mugitibus implet,
Atque laboranti crebros è gutture ructus
Eluctatur agens: oculos ſtupor urget inertes:
Grandibus ora madent lachrymis; medicaſque repoſcunt
Viſcera cæca manus longum miſcentia murmur.

Tantos efficiunt vel pabula cruda dolores,
Vel qui tortilibus fimus altè induruit extis.
Villicus arva dolens inarata quieſcere, Taurum
Et miſerans ægrum, valido medicamine tentet
Incoctas ſuperare dapes, uterumque tonantem
Torminibus cæcis herbâ mollire ſalubri.
Compeſcunt uteri ſonitus, ſævoſque dolores
Sæpe levant vetus auſtero dilutus Iacho
Caſeus, & Gallæ contritaque poma Cupreſſi.

Febris & ipſa Boum vaſtos deſævit in artus: — *Febris.*
Signa dabunt utriuſque oculi compreſſior orbis,
Manantes lacrymæ, ſatias moroſa ciborum,
Dejectum caput, & vix pectore ductus ab alto
Spiritus: emiſſo ſi ſanguine febris anhela

Perſtat adhuc ; cæſos caules, oleumque, garumque
Incoquite, & mixtos in guttura fundite ſuccos,
Pampineâque cibi faſtidia vincite fronde.
Acceſſu facilis medicos ſtet ut æger ad hauſtus ;
Nec dextram ingratâ Bos calce repellat amicam,
Commoda tranſverſis fabricatur machina tignis ;
Quâ veluti caveâ clauſus, validiſque capiſtris
Altè ſubſtrictâ Quadrupes cervice, medentum
Arbitrio ſuccos nolens abſorbet amaros.

Claudicatio. Claudicat interdum Taurus ; nec vulneris ulla
Signa patent : ſi crura manu palpêre, doloris
Impatiens docet ipſe locum, quo ſanguis inhærens
Putruit effuſus venis : ſævire ſalubri
Nil dubita ferro, vomicamque aperire latentem.
Ulcus ubi tenet ima pedum, reſcinditur unguis
Ad vivum ; & ſcalpro ſanies ſtupâque bibaci
Detrahitur : tum pes vario medicamine fotus
Induitur ſoleas ; incinctaque ſpartea circùm
Faſcia lethali plagam defendit ab imbre.

Scabies. Oceanus ſcabiem mordacibus eluit undis :
Si medias habites alto procul æquore terras ;
Auxilio veniant, vel aquas imitata marinas
Lympha gravis ſale, vel pelli defricta rigenti
Allia, vel pingui dilutum ſulphur amurcâ.

Coriago. Peſtis ineſt corio major, cùm fortè tepenti
Bos ſudore madens gelidâ refrixit ab aurâ ;
Hæreat eminulis ut jam cutis arida coſtis.
Decoque florentes Lauros, & Sole ſub ipſo
Terga fovens, ſuperadde fraces fæcemque Lyæi.

Tumores. Solvantur venæ, quoties luctatus iniquis
Taurus agris, ſibi contuderit vel colla vel armos.
Si media intumuit cervix ; neque ſanguis utraque
Miſſus ab auricula quid profuit ; illine ſebum
Hircinum, liquidamque picem, bubulamque medullam.

Hauſta cruentatis ubi faucibus hæſit Hirudo ; *Hirudo hauſta.*
Nec manibus potes infeſtam detrudere peſtem :
Grandior inſeritur diductis fiſtula malis :
Suppoſito Cimex ita deinde peruritur igne ,
Ut tubus acceptos intus tranſmittat odores :
Nidor enim pronâ ſtantis cervice Juvenci
Liberat obſeſſas fauces ; & ab illius ore
Sponte cadit , quanquam non plena cruoris , Hirudo.
Sæpe venenatum premit heu ! Bos inſcius Anguem , *Viperinus morſus.*
Quem prato recubans alta non vidit in herba.
Mole laceſſitus ſerpens in tergora morſum
Imprimit , & totos labem molitur in artus.
Lethiferum ſi fata dabunt cognoſcere vulnus ,
Rutam adhibe : membris agit atrum Ruta venenum : *(Ubi de Rutæ aliarumque herbarum vi.*
Quam tu ne Medicos ne crede Machaonas artem
Induxiſſe : comas , ſtirpes , & vana loquuntur
Nomina plantarum ; vires uſumque medendi
Utiliùs Natura docet genus omne Ferarum.
Muſtelâ didicit quondam monſtrante Colonus
Tabificos quid Ruta valet Serpentis ad ictus.
Illa reluctantem cùm fortè laceſſeret Anguem ,
Infectis quoties membris lethale venenum
Hauſerat , ad Rutam fugiens , tactuque ſalubri
Occultè medicans , non ſegnior ibat in hoſtem.
Ruſticus excelſo rem demiratus ab agro ;
Avulſis , quæ ſola fuit , radicibus herbam
Abſtulit : exanimis cadit heu ! Muſtela veneno]
Turgida : nam toto Rutam dum quæritat agro ,
Intima corda ſubit jam non medicabile virus.
Pœoniis ſi nota foret vis inſita plantis ,
Quos metuat caſus vitæ mortalis egeſtas !
Ingenio noſtrum eſt uſuque parare magiſtro
Quod docuit Natura Feras ratione carentes.
His ducibus Medicina ſuas jactantior artes

Edidicit: longo peregrina Ciconia roſtro
Prima ſalutiferos herbarum in viſcera ſuccos
Indidit: Hippotamus junco ſibi primus acuto
Incîdit nimio ſalientem ſanguine venam;
Abſtergenſque cibi faſtidia gramine, vires
Extudit herbarum Canis, & medicaminis uſum.

Et de lapide à ſerpentibus dicto.)

Eſt lapis Eoo nuper delatus ab orbe
Subniger & levior, Serpentum nomine dictus,
Quem ſi tecum habeas, ſecurâ innoxius Angues
Jam poteris tractare manu. Serpentis ad ictum
Applicitus lapis in ſeſe trahit omne venenum;
Quod revomit vel aquâ merſus vel lacte tepenti.
Quin & mortiferam lapis idem fugit ab altis
Vulneribus tabem; plagæque tenaciùs hæret,
Ebrius exhauſtâ ſanie dum labitur ultro.

Peſtis.

Lethiferæ quid dira loquar contagia peſtis,
Quæ deſolatos Tauris cultoribus agros
Præcipiti viduant caſu: per florea paſſim
Arva, per herboſos ſaltûs moriuntur, & auras
Latiùs inficiunt: ſtabulis quos veſpere clauſit
Villicus incolumes, exactâ nocte Juvencos
Ad ſaturum præſepe videt ſuprema gementes;
Nec ſemel incurvo ſubigunt dum vomere terram,
Alter humi cadit inter opus; ſociuſque laborum
Comparis exitium dum flet crudele, trahitque
Extremos ad agri fines exangue cadaver,
Concidit ipſe ſuper lethi comes, udaque fletu
Claudit in æternam morientia lumina noctem.
Triſtior infixum tellure Bubulcus aratrum
Tollit; & imponens onus illætabile collo,
Nuntius it geminæ mortis, luctuque penates
Nec vanis implet vicina mapalia curis.
Ergo ubi ſæva lues inceſſit; ſola remotos
In ſaltus procul & montes armenta relegans,

Conſerva quæ ſana vigent, & corpora fatis
Ægra ſuis permitte, viam nec quære medendi;
Chriſtiadis quanquam, divo rerum auſpice Rocho
Nil deſperandum: vivus qui profuit olim,
Et peſtem patriis orando depulit oris;
Nobis uſquè bonus, precibuſque potentior idem
Mortiferam cælo labem compeſcet ab alto:
Jamque patrocinii vim dudum experta Toloſa
Monſpeliumque ſuo poſuere altaria civi.
Depulit hic nuper noſtris à finibus ortam *(Ubi de peſte Maſſilienſi.)*
Maſſiliæ peſtem; quæ nos formidine mortis
Cinxit utrinque furens: hominum proh! millia letho
Quanta dedit! tanti ſint hæc ſolatia luctûs,
Exemplis quòd dira lues illuſtribus auxit
Antiquum fidei puræ decus; atque recentis
Hæreſeos fraudes, & (relligionis amictu
Quæ tegitur) faciem populis oſtendit apertam.
Vidit, & in ſummis urbs deſolata periclis
Horruit abſimiles dictis factiſque magiſtros,
Splendida jactantes rigidæ mendacia ſectæ,
Indecori victos peſtis formidine, vitam
Ignavâ quæſiſſe fugâ, latuiſſe vel intra
Tecta domûs; donec ſacer auri corde timorem
Solvit amor, viduoſque lares intrare coëgit,
Peſtiferis fortes hæredia fœta venenis
Accipere, atque animam generoſam impendere lucro.
Interea veteres ritus atque aurea quondam
Tempora Chriſtiadum qui neſcivere (Catonum
Ut nova turba canit) qui dogmata laxa ſequuntur,
Culcitruliſque jugum Chriſti mollire laborant,
Devovêre animas populis: utrinque frequenti
Agmine Maſſiliam properant, quò ſola vocabat
Relligio pietaſque viros & nobile funus.
Præcipites mora nulla tenet: quod carcere rupto

Sons fugiens timuiſſet, (1) iter per flumina quærunt;
Nec dubitant (via quæ ſibi viſa breviſſima) vaſtos
Amnis inexperti nando perrumpere fluctus,
Et duplici fortes animas committere fato.
Monſpelium, petit unde genus mortale ſalutem,
Maſſiliæ tranſmiſit opem: venere Medentum
(2) Tres numero tantùm, at Medicinæ totius inſtar.
Incumbunt alacres operi; propriæque ſalutis
Immemores, ægro quam civi ferre recuſat
Civis opem, natoque pater, certantibus ultro
Dant ſtudiis; nec viva modò ſed mortua tractant
Membra manu, cauſaſque luis ſcrutantur, & ipſâ
Certius auxilium vivis in morte requirunt.
Expertes ſparſæ in vulgus formidinis, ægros
Inter anhelantes peſtem, minùs (3) ore diſerto
Quàm factis ſpernenda docent contagia morbi:
Quo ſemel ex animis dempto terrore, cavetur
Præcipiti ne plura fames det corpora letho,
Quàm luis abſumat non immedicabile virus.
Quos minimè reris tantæ pietatis amantes,
Spretâ claſſe (4) Duces venere, neciſque miniſtram
Inter bella manum vitæ admovêre tuendæ;
Afflatam neque peſte magis timuere, cruentam
Quàm priùs horruerant media inter prælia mortem.
Ipſæ adeo, cum peſtis erat teterrima, Matres
Naturâ timidæ, fortes pietate, virili

(1) *Duo Patres Capucini, è quorum ordine ſolo obierunt Maſſiliæ pluſquam ducenti charitatis Martyres.*

(2) *D. Chicoyneau, in Monſpelienſi Medicinæ Univerſitate Cancellarius; & in ſupremæ ejuſdem urbis curia Senator. D. Didier, Medicinæ Profeſſor. D. Vergni, Monſpelienſis Medicus.*

(3) *Editus liber à D. Chicoyneau, quo Peſtilentis contagii opinio refellitur.*

(4) *D. de Langeron. D. de Montaud. D. de Soiſſons.*

Pectore non Sponſis ſolùm Natiſque, ſed ægris
Omnibus aſtantes, molles ſervilibus audent
Officiis dextras adhibere, nec ulcera viſu
Horrida fomento metuunt curare ſalubri.
  Fecerat hos animos vitæ qui (1) præſul & auri
Prodigus, aſſiduis animas & corpora curis
Suſtinuit, mortem viſus calcare metumque,
Intrepidò vadens per ſtrata cadavera paſſu.
  Fluxerat unde lues, hinc & generoſa per urbes
Finitimas latè manant exempla; ſacroſque
Gallia (2) Pontifices ſtupuit pietatis avitæ
Æmula pro populis opponere pectora letho,
Atque alios quantùm meritis & honore Miniſtros
Exuperant, tantùm contemptu vincere mortis.
  Hos inter fuit auditâ qui clade ſuorum,
Magna ſibi velut obtigerant hæredia, longam
Carpit Equo curſore viam; dulcemque tuendo
Pro grege non metuens Paſtor bonus edere vitam,
Quò properant alii, dominæ fugit urbis azilum.
  Nomina clara virûm, vos ô! ſubducite letho,
Heroum meritas veſtro qui carmine laudes
In longum majore tubâ demittitis ævum:
Nos operis cœpti memores armenta ſequamur.

Vaccæ quæ aluntur in Arvernis montibus.

  Ruricolas ſatis eſt, ubi pinguia paſcua deſunt,
Noſſe Boves: pecorum nutrix Arvernia Vaccas
Educat, & lacti curas impendit habendo.
Vacca ſuis hyemat ſtabulis: nix undique circùm

(1) *Henricus-Franciſcus Xaverius de Belſunce*, *Epiſcopus Maſſilienſis.*

(2) *Carolus-Gaſpar-Guillelmus de Ventimille du Luc, Archiepiſcopus Aquenſis. Jacobus de Forbin de Janſon, Archiepiſcopus Arelatenſis .... Ludovicus de Latour du Pin Montauban, Epiſcop. Telonenſis... Joſephus-Ignatius de Foreſta de Colongue, Epiſcop. Aptenſis. D. Davejan, Epiſcop. Alezenſis.*

Occulit albentes agros ; armentaque longi
Carceris appoſito ſuſtentant tædia fœno :
Sed liquidæ ſimul ac altis è montibus aurâ
Jam tepidâ fluxere nives ; longoque ſoluta
Frigore naſcenti tellus ſe veſtiit herbâ ;
Tunc veluti cùm ſigna tubæ cecinere, relictis
Urbibus armigeræ coëunt in bella cohortes ;
Haud ſecus hybernis ſtabulis grex corniger unà
Funditur, & ſeſe montes hortatur in altos,
Aſſuetaſque vias nullo cuſtode capeſſit.
Herboſos ſuperant montes, & gramine pingui
Luxuriant armenta, dies errantia totos :
At ſerâ jam nocte Lupos, qui montibus illis
Inſidias Vitulis meditantur, ut agmine facto
Propulſent pavido victos terrore vel armis ;
Gramineis quaſi caſtra toris metantur in orbem :
In medio Vitulos ſtatuunt, junctiſque recumbunt
Tergoribus circùm ; quæ propugnacula molis
Corporeæ ſubita erectis ad prælia vallant
Cornibus, & placidos ducunt in cæſpite ſomnos
Securæ ſobolis matres, gremioque parentum,
Cui timidum latus applicuit, confiſa juventus.
Exorto jam Sole Lupum Bos ſi qua vagantem
Viderit, horrendis implet mugitibus auras,
Auxiliumque vocat : ſubeuntes undique Vaccæ
Terrificam reddunt vocem ; nec gramina libant,
Antè recompoſitis quàm fur procul exulet oris.
Grex autem viridi quanquam laſciviat herbâ ;
Paſtori tamen, ut primùm lux alma refulſit,
Plena refert junctis quæ mulgeat ubera palmis :
Lac ſale compenſat Paſtor, quo munere Vaccas
Invitet notis iterum ſuccedere tectis,
Et preſſis ultro dare lactea flumina mammis.
Ergo manè greges ſubeunt magalia circum :

Mulgendam propiùs quam vult accedere Vaccam
Evocat, & proprio compellat nomine Paſtor.
Paret, & appoſitis obvertit tergora mulctris:
Ne latices premat, & Vituli memor, ubera mater
Contineat; primus nato permittitur hauſtus.
Interea mulſæ repetunt dum paſcua matres;
Paſtores niveæ liquefacta coagula mulctræ
Injiciunt, manibuſque premunt lac molle, ſerumque
Pingue jubent ſudare gravi ſub pondere ſaxi.
Bucera viſuri montes armenta per altos
Si quando domini veniant ex urbe, calores
Ut nimios vitent, & liberiore fruantur
Aëre; quàm gaudent lentos in gramine molli
Ferre gradus, lactis maſſas numerare coacti
Et nitidum pecus ac pecoris ſpectare magiſtros;
Sive per herboſum grex liber obambulat agrum;
Sive ſolo decumbit iners, & ruminat herbas:
Pinguia tondentes carpunt ſeu paſcua Vaccæ;
Plenaque paſcentum Vituli circum ubera matrum
Vel ludunt, herbam timido vel dente laceſſunt:
Ubera ſeu pecoris cuſtos lactantia ſiccat;
Nudatis vel mulctra premit concreta lacertis:
Sive die feſto ſocii de montibus adſunt
Contiguis, largoque hilarant convivia Baccho.
Ipſi adeo dulci foveant ut viſcera potu,
Lacte merum Domini mutant; medicoſque liquores
Hauſturi, fontes ſpernunt quos terra ſalubri
Affecit ſucco, & (1) Vaccâ meiente, capaces
Manè ſcyphos implent, multùm ridente Bubulco
Pocula lactenti non invidioſa Juvenco.
Mox ubi jam primis horrens Aquilonibus annus
Deciduis hyemi nivibus præludit aquoſæ,

(1) *Urina Vaccæ (quæ aqua mille florum dicitur) habetur inter remedia laboranti ſtomacho utilia.*

Cogitat herboſo grex cedere monte, dieſque
Paſcitur & noctes, avidoque viatica morſu
Providet; & quanquam reditum non urgeat, ultro
Deſcendit tamen, & jam frigidiora relinquit
Culmina, ut in ſtabulis Hyemem traducat apricis.
Sic ubi ſol noſtris decedere cœpit ab oris,
Quas hilari cantu recreaverat hoſpita Progne,
Jam Brumâ pulſante, domos fugitiva relinquit,
Et mites alio quærit ſub ſidere terras.
Sic lætam quæ manè diem Philomela ſalutat,
Nocte ſilet; triſtes lugubri voce per umbras
Dum funeſta canit mortalibus omina Bubo.
Sic domus argento ridet quæ divite, denſis
Fervet amicorum gregibus: ſi nubila ſurgunt
Tempora, diffugiunt re dilabente ſodales;
Alterniſque virûm gaudens inſiſtere tectis,
In quoſcumque pedem tulerit Fortuna penates;
Inſtabiles illuc ſecum tranſmutat amicos.

Digitized by Google



PRÆDII RUSTICI

LIBER IV.

Pecora minora.

JAM pecoris cultus ſequitur memorandus ovilli, OVES.
Quo nihil utilius terris hominumque tuendis
Corporibus Natura dedit : cerealia pingui
Namque fimo juvat arva Bidens ; & mollibus Agnis
Suſtinet humanos, quos vellere contegit, artus :
Atque ego crediderim tibi, blanda pecunia, nomen
Lanigerum feciſſe pecus, paſtoria poſtquam
Vita Remum fratremque tulit ; pecorumque magiſtros
Ad tantas evexit opes, ut mœnia Romæ
Et populis legem dederint moreſque ſubactis.
Non alias ſtudio pecudes majore fovebunt
Agricolæ : neque enim ſtolidam tenet ulla Bidentem
Cura ſuî : Deus hanc unâ munivit opum vi,
Qui reliquis dedit arma Feris : generoſus in hoſtem
Cornua Bos obvertit ; Equus ſe calce tuetur,
Ungue Leo, morſu Tygris, Vulpecula fraude.

Exerit ore Canis ſtrictos in prælia dentes;
Imbelliſque ſibi pede conſulit alite Cervus.
Debilis & ſimplex Ovis, indefenſaque, forti
Non animo non ſepta pedum levitate, Luporum
Nec curſu cavet inſidias, nec dente repellit:
Vix celeraret iter jam tempeſtate ſubortâ,
Cum clamore ruens niſi Paſtor fuſte morantem
Admoneat pluviis ſeſe ſubducere nimbis.
Hanc autem Natura licèt magis omnibus unam
Veſtierit, tamen invalidam penetrabile frigus
Interimet, ſtabulum tepidos niſi vergat ad Auſtros;
Et ſiccam pecori Filicem paleaſque cubanti
Opilio ſubſternat; ubi cum matribus Agni
Puriùs & teneros deponant molliter artus.
Nam jove ſub nudo ſylvis quæ vixit in altis,
Ventorum patiens Hyemiſque, domeſtica noſtros
Ad mores deflexit Ovis: quò plura ſaluti
Cavimus, ægra magis tentarunt corpora morbi.
AGNI. Quare agite & primis Agnum curemus ab annis;
Hauſit ubi lucem matris delapſus ab alvo,
Erigitur: preſſis cuſtos Agnina papillis
Ora rigat, primumque inſpirat lactis amorem,
Diſtentis alimenta docens educere mammis:
Sed priùs exiguum mulget lac Paſtor, humique
Projicit expreſſum manibus: nam lacteus humor.
Enixâ qui matre recens emittitur, Agnos
Triſtibus affligat morbis in limine vitæ.
Dein cum prole parens includitur; illa novellum
Ut foveat partum, condiſcat & ille parentem
Noſſe ſuam: tum poſt biduum vernantia fœtis
Hordea permittant Ovibus, ſtabuloque tenellos
Contineant Agnos; quanquam ſine fine gementes
Balatu matrem repetant, & ovilia rumpant.
Cùm teneros ætas firmaverit auctior artus,
Florida

Florida jam grandis matrem, per prata ſequatur
Agnus, & in mollem dentes exerceat herbam.
Poſt ubi maternos tempus ſaturavit amores,
Abſentemque Parens ſobolem ſobolcſque Parentem
Non feret impatiens; repetant ſua paſcua Matres;
Atque tener puero grex compellente nocentem
Luxuriam ſegetis prima depaſcat in herba:
Vel Natum pater agreſtes informet ad artes;
Et ſibi ſi qua domi ſit filia parva, decoros
Agnorum formoſa greges farragine paſcat,
Nec ſaturos claudat ſtabulis: in gramine molli
Laſcivam ſinat exultim colludere prolem,
Linea dum tereti devolvet ſtamina fuſo.
Ne tamen hanc animis aſſueſce puellula vitam:
Virginibus licuit quondam, cùm ſecla fluebant
Aurea; nec Satyros nemorum per opaca latentes
Alterà nec norant, Ovium quàm furta, puellæ.
Veſpere clauduntur paſtis cum matribus Agni,
Ubera queis illæ referunt potanda, diurni
Supplementa cibi: depulſi lacte, gregales
Inter Oves, unà campis paſcuntur; & iiſdem
Sub tectis cælove ſimul ſtabulantur aperto.
Sed non longa manet concordia; quique per urbes
Exitio ſolet eſſe viris, pecus inter ovillum
Crudelis quoque regnat amor: vix cornibus Agno
Frons tumet, inſanis cùm jam ferus ignibus ardet.
Sævaque rivales inter ſe prælia tentant;
Villicus effrænos ferro niſi rumpat amores.
Cui patris officium nomenque relinquitur, ampli
Procerique habitûs Aries, Villoſus & ipsâ — ARIES.
Candidior nive, nec linguam nec tergora nigris
Interpuncta notis habeat; ſuſcepta paternas
Ne referat fuſco maculas in vellere proles.
Plurima cervices, caput, alvum, oculoſque vel ipſos

Lana tegat. Roſtro ſint cornua prona: cruentant
Rivales erecta mares; Arieſque ſuperbus
Cùm ſemel armatam ſibi frontem intelligit, acri
Percitus invidiâ rixas æternaque miſcet
Prælia: pugnaces hac comprimet arte Magiſter.
Exiguam clavis tabulam transfigat acutis,
Rixoſique proci media inter cornua, verſo
In frontem mucrone, liget: galeatus in hoſtem
Irruit, atque pedes Aries ſublimis in imos
Cervicem ferit impactâ cervice, ſed. ictu
Saucius ipſe ſuo, fatalibus abſtinet armis.
Tu gregibus cornu mutilum præpone regendis:
Ille colet pacem, ſocioſque quietus inermi
Fronte mares feret. Uxores adjunge marito
Nec vetulas, Agnaſque meras: ſenioribus inſtat
Proxima mors, falletque tuam ſpem ſæpe juventus.

Impendentis pluviæ ſigna. Paſtor Oves procul à ſtabulis ne ducat alendas,
Strymoniæ ſi quando Grues atque improba Cornix
Aërea de nube vocant clangoribus imbrem;
Deductiſque graves olfactant naribus auras
Erectâ cervice Boves; nec cùm acriùs hæret
Muſca cuti; ceſſaſque ſuper volat Ardea nubes
Effugiens pluviâ quos impendente vapores
Afflat humus: ſuſpecta etiam ſint nubila cæli,
Cùm levior vento frons colludente recurvos
Volvitur in gyros; ſinuoſaque flamma per auras
Fertur; & æquoreas gemino Taumantias ore
Ducit aquas, pluvio quas imbre refundat in agros.
Inprimis æſtate tonat cùm nubibus æther,
Mortiferis ſpargens fœtum Bufonibus imbrem,
Claude pecus ſtabulo: neque enim præſentius ullum
Poſſet edax avido contingere dente venenum:
Et tamen imprudens diras Ovis appetit eſcas.

PASCUA. At neque purpureo reſerabis ovilia Vere;

Antè pruinoſam quàm Sol deterſerit herbam :
Poſt ubi torrentes accendet Sirius ignes ,
Lanigerum bis paſce gregem ; cùm roſcida manè
Dulciùs herba ſapit , rurſumque virentia ſero
Gramina cùm gratos ducunt à Veſpere ſuccos :
Phœbus enim medio quoties furit igneus orbe ;
Languidaque exuccum vix ſuſtinet herbula collum ;
Umbriferâ tum valle pecus , pecoriſque magiſter
Icarium vitent patulis ſub Quercubus æſtum.
  Paſtoris pecorumque Canis comes adſit & ultor ,
Paſcentes qui ſervet Oves , ſecuraque noctu
Excubitor fidus tueatur ovilia , fures
Atque Lupos uno vocis terrore repellens.
  Herboſos placidè cuſtos lentèque per agros
Ducat Oves , ſtimulans pigras , properaſque coërcens ;
A grege deerrantes revocet , vel ſtridula fundens
Sibila , vel notas rauco dans gutture voces
Irato ſimilis : partu reſoluta recenti
Si qua ſolo decumbat iners , cervicibus ægram
Suppoſitis matrem ſubeat , mollemque tepenti
Admoveat gremio ſobolem , monſtretque Parenti.
  Morborum ſciat & cauſas , uſumque medendi ,
Et varios cæli mores , & paſcua rura ,
Quæ pretium lanæ faciunt , carnique ſaporem
Conciliant : norit quâ tempeſtate reſectis
Velleribus nudabit Oves , quo tempore paſtum
Exiget , & fontes ſaturis præbebit amicos.
  Paſcendo ſi quem tenues cognoſcere curas
Non piget , occiduum ſtabulis egreſſus ad orbem
Pellat manè greges & veſpere Solis ad ortum :
Ardor enim nocet armentis , ſi prona vagantum
Sint Ovium capita adverſo contraria Soli.
  Eligat inprimis non paſcua læta , Bidentes
Quæ ſaturant , ſed amet ſiccis in collibus herbam ,

Nobiliore pecus lanâ quæ veſtit ovillum.
Mollior eſt, dulcemque refert in carne saporem
Gangeticus, Thyma qui carpit fragrantia, Vervex.
  Autumni ne prima timens ſibi frigora Paſtor,
Imbelles prætexat Oves, nudoque recuſet
Sub jove frigidulas ſegnis traducere noctes:
Rarò namque fimo pecoriſque tepore cubantis
Lætior eſt, quàm ſi plenis ſatiata caniſtris
Stercoris ingentes tellus abſumat acervos.
  Præmatura tamen nimio ſi frigore cælum
Contriſtabit Hyems; pecus indormire rigenti
Non patiere ſolo, nec aduſtam ſegniter ipſa
Sub nive rimari gelido pede graminis herbam;
Sed Vicias aut vile dabis præſepibus Ervum,
Et frondes fœnumque; gregem ne tentet ovillum
Dira fames, ſcabieſque famis comes occupet artus.
Hæc ubi lanigerum pecus attigit, arbore coſtas
Impatiens deterget Ovis, vel ſcalpit aduncis
Cornibus, aut morſu flexâ cervice cruentat;
Unde cutem latè fundit ſe peſtis in omnem.
  Poſt Hyemem cùm Sole nives periere, reviſunt
Paſcua læta greges: Aries præcedit, & illo
Sub duce gramineis hilares ſpatiantur in agris,
Ductoremque ſequi gaudent; ſeu veſpere Paſtor
Cogat Oves, rabidos medio ſeu Sole per æſtus
Compellat pecus in valles nemorumque latebras;
Seu tenues pedibus rivos amnemque phaſelo
Trajicere, aut foſſas opus eſt tranſmittere ſaltu.
Uſque adeo eſt gens illa ſequax, ut ſicubi torto
Corpore dux Aries ſaltu micat altus, ibidem
Subſiliant omnes plano vel in æquore matres.

Verveces. Semimares quoque læta petunt ductore ſub uno
Paſcua Verveces; gregibus non ille regendis
Præficitur quia nobilior, quia vellere dives,

Aut ætate gravis longoque ſcientior uſu :
Sed veluti Dominos inter rerumque potentes
Evehit ad ſummos favor inconſultus honores ;
Unum præ reliquis Paſtoris amica voluntas
Non aliter jubet eſſe ducem : præit ille , viaſque
Tentat ; & ut paſtum ducit potumque , necandos
Sic agit ad Lanium quoque perfidus ; eſtque benignas
Inter Oves proprii generis qui proditor , ultro
Triſte miniſterium ſubeat mercede ſolutâ :
Nam reduci ſperata ſolet dare munera Paſtor
Exiguam cererem , dulcis vel grana Cumini.

Per juga reptantes curſu prævertere Capras — HIRCUS.
Muneris , Hirce , tui eſt ; ſed vix tardante podagrâ
Lenta moves properas inter veſtigia matres.
Dura voluptatum merces , quas Hædus ab annis
Sectatur teneris : mento vix barbula pendet ,
Nataque ruperunt teneram vix cornua frontem ,
Intima cùm tacitæ gliſcunt in viſcera flammæ ;
Atque hinc invalidum premit immatura ſenectus ;
Quæ ligat & tetris infeſtat membra venenis :
Inde piger , morboſus , iners , & inutilis ævi
Ingrato fœtore greges atque aëra circùm
Inficit , & triſtem propero dat funere vitam.

Non eadem loca paſcuntur gracileſque Capellæ — CAPRA.
Lanigerique greges : nam ſaxa per aſpera tutas
Capra vias agit , & projectos pendula ramos.
Ac Cytiſum rimatur : Ovis campeſtria quærit
Paſcua ; nec gaudet juga per dumoſa vagari.
Terga ſecant rigidi vepres , floccoſque revellunt ,
Queis luteos ſternit nidos operoſa volucris.

Hircinâ quæ pelle greges Hiſpania veſtit ,
Mordaceſque rubos craſſo defendit amictu ,
Et molles lanas habet ; atque ut prata quotannis
Pellitarum Ovium bis terga feracia tondet.

Paſcuorum varietas. Omnia moroſus longo faſtidit ab uſu
Pabula grex; noſtriſque placent ut fercula menſis:
Solerti variata manu, lætiſſima ſiccis
Paſcua ſic mutant pecudes, fruticumque virenti
Fronde levant quæ pingue parit faſtidia pratum.
Inprimis ubi poſt imbres hyememque peractam
Vere novo ſolet herboſos grex viſere montes.
Non mage balantes hac tempeſtate morantur
Prata greges, dulcis comitum quàm cœtus & urbis
Deliciæ retinent pueros apud oppida, ruri
Cùm jam poma refert Autumnus & otia Muſis.

OVIUM TONSURA. Grex æſtate novâ demi ſibi vellera gaudet,
Hyberna ſub veſte calens: tellure jacentem
Tranſverſoſque pedes nodoſo fune revinctam
Paſtor Ovem lanâ ſpoliat; nec ovilia triſti
Balatu reſonant, uno ſed forficis ictu.
Vix querulo gemit ore Bidens, licèt altiùs ima
Abs radice ſecans ferro, crudelia tonſor
Vulnera det, queis nec dulci dignatur olivo,
Nec liquidâ pice, ſed trito carbone mederi.

Lanigeras tonſurus Oves ſolennia quondam
Feſta parans, veteres menſis adhibebat amicos;
Quæ dulces epulæ flava cum meſſe redibant;
Et gravida rurſum deſcendens Bacchus ab Ulmo
Læta redonabat feſto convivia pago.
Afflictis Bellona furens nunc gaudia terris
Ubi de Pace. Blanda fugat: ſed mox hilari Pax aurea vultu
Lætitiam & riſus, & fertilitatis honorem
Reſtituet: cælo Pax en delabitur alto,
Quam ſequitur Pietas & pleno Copia cornu:
Et jam Diva potens hominum componere lites
Alta vagis Regum luſtrat palatia pennis,
Nec fruſtra monet ut populorum parcere vitæ,
Pacemque velint nunc demum vivere mundo.

Ergo fatigatas triſti non ampliùs aures
Pulſabunt clangore tubæ, ſed ruſtica paſſim
Fiſtula Paſtorum teneros cantabit amores:
Libera ſecuris decurrent æquora velis,
Solaque ventorum metuent fera prælia Nautæ;
Atque ſitu gladiis ſqualentibus, arma nitebunt
Ruſtica; & uberibus ſua meſſibus arcta Colonus
Horrea mutatis ſecum mirabitur annis.
Florebunt iterum ſtudiis atque artibus urbes;
Caſtalidumque choris honor & laus priſca redibunt.
Quanquam non ſileant longa inter bella Camœnæ
Auſpice Bignonio, qui ſacri regia Pindi
Sceptra tenens, idem Phœbi Themidiſque Sacerdos,
Clarus avis, propriâ major ſed laude, Poëtas
Ornat, & ingenuas curis amplectitur artes.
Illius auxilio ſeſe natura videndam
Detegit in plantis; oculis non invia noſtris
Sidera metimur, cæcas ſcrutamur aquarum
Ventorumque vias, expreſſos marmore vultus
Reddimus, ac veteri quem Græcia jactat Apelli
Noſtra, vetuſtatem præter, nihil invidet ætas:
Et patriæ novus uſquè lepos, nova gratia linguæ
Acceſſit duce Bignonio; nec latiùs arma
Quàm ſermonis opes toto diffudimus orbe.
Sed nos interea pecudes & rura ſequamur:
Cargandum canerem vellus calidiſque trahendum
Pectinibus; nec penſa colis deducta ſilerem,
Quoque modo filum varios glomeratur in orbes;
Inſertumque levi radio, digitiſque remiſſum
Mobilibus, plexo denſat ſubtegmina tortu.
Forſitan & potis lanam medicarer ahenis,
Sidonio fulgere docens vel murice, fuſco
Vel flavere Croco, aut atris nigreſcere ſuccis,
Vel ferrugineo Violæ pallere colore.

Et de D. de Bignon.

LANIFICIUM.

Lanificam ſed non deerit qui mollibus artem
Carminibus celebret Vates; & pectinis unci
Vel Phrygiæ moderator acûs, imitetur agreſtes
Delicias ruris, vel Regum prælia textu
Artifici referat: nobis memoranda ſuperſunt
Multa Ovibus ſuper atque Ovium cuſtode Moloſſo.

Diſperſiti greges.

In varios pecus omne greges diſperge; remotis
Ut paſcens hinc inde locis, & graminis herbam
Latiùs abſumat, nec Oves via longa fatiget;
Nec pereant omnes, tractu ſi peſtis in uno
Sævierit, nondum terras graſſata per omnes.
Quæ fragili metuenda magis contagia Capræ;
Tu niſi, quem tabes invaſerit horrida, claudas
Intra ſepta gregem; Cannæque paluſtris, & albæ
Radices Spinæ tritas pluvialibus undis
Immiſcens, ægris potu medeare Capellis.

Ovis Suiſque contraria ſtudia.

Eſt ubi miſcet agens pecora omnia Paſtor, Oveſque
Cum Suibus junctas uno compellit Hibiſco;
Diſſimiles quanquam ſtudia in contraria ferri
Spectet utroſque greges: ſylvas & opaca ſequuntur
Rura Sues: nemus omne Bidens exoſa, virentes
Tondet agros, nec amat fluvialia littora, magnis
Quæ ſcrobibus geſtit foſſor concidere Porcus.
Ille volutabris fruitur cœnoque; lutoſam
Vix ſummis hæc audet humum contingere plantis.
Exertos alterna Sues in vulnera dentes
Semper habent: Ovis ingenio nil mitius; unà
Gramineis paſcuntur agris, glomerantur in orbem
Spiſſiùs, & medios ubi denſior umbra per æſtus
Defuit, alterius caput altera ſubjicit alvo.
Si cui per campos ſe fertile gramen eunti
Obtulerit, pingues aliis non invidet herbas,
Commoda ſola ſibi; pleno ſed balitat ore,
Palantem meliora vocans ad pabula turbam.

Non rixæ non bella vigent ; valleſque per imas
placet adverſo committere vertice pugnam ,
onte licèt frontem quatiant , & rurſus in ictum
ndentes , ſublime caput jaculentur in hoſtem ;
etior excelſa cuſtos è rupe frequentes
Tultus longamque videt ſine ſanguine pugnam.
uòd ſi fortè graves procedant longiùs iræ ,
n opus eſt baculo rixam placare ſequeſtri :
: grege nam medium ſeſe bellantibus offert ,
gnam interpoſito dirimat qui corpore Vervex.
n Sue naturam gula vincit edacior : ipſam
iter enim , ſtimulante fame , vorat impia prolem.
t Ove nulla parens fœtûs ſtudioſior : Agnum
inda fovet , clauſumque domi ſi deſerat ; herbæ
:det ; & abſentem balatibus uſquè repoſcit
ogeniem , parili quæ rumpit ovilia queſtu.
Illa mali patiens & neſcia viribus uti ,
fenſas ultura ſuas ; oblita timorem ,
idet in adverſos generoſior ire Moloſſos ;
quis in aprico ludentem gramine ludens
ipetit , & vanâ formidine territat Agnum.
Quâ quis Matre ſatus (cùm ſit color omnibus unus ,
c facies diverſa) licèt dignoſcere Paſtor
n valeat ; ſobolem Mater , caramque viciſſim
ogenies mirâ novit pietate Parentem :
im ſimul ac paſtu reduces ad ovilia cogit
ſper Oves , læti plaudunt venientibus Agni
atribus ; & caudâ viſi geſtire trementi ,
ilatu tenero dant accipiuntque ſalutem :
ec mora lactanti pendentes ubere , longam
ompeſcuntque ſitim deſideriumque videndi.
Sus autem niſi Porcellos ſignare colore ,
tque alios aliis formis inſcribere partus
t propriæ ſobolem cures affigere matri ;

Exporrecta ſolo Catulis dabit ubera notis
Ignotiſque, ſuæ nullo diſcrimine prolis.
Non illam benefacta movent; altâque Subulcus
Maturam baculo cùm decutit Ilice glandem,
Sus ingrata manus nunquam ſuſpectat amicas.
Paſtor Ovi contrà ſi cui blanditur; euntem
Fida comes ſequitur, vel (quod Canis invidet) hærens
Cuſtodis caro lateri, requieſcit in herba.
Ergo pecus varium & diſpar ne Paſtor eiſdem
Cogat agris, Porcoque greges inhoneſtet ovillos.

Suum paſcua. Setigeros herbôſa Sues vel in arva Subulcus
Aut altos agat in lucos; atque inter agendum
Sæpe vocet cornu, ſparſumque recolligat agmen.
Sicubi Sus avido rimatus tubera roſtro,
Sulcat humum, glebaſque ſagax ſcrutatur odoras;
I, propera, cave ne raris malus impleat atram
Ingluviem dapibus, queis menſam ornabis herilem.

Morbi. Tranſverſum ſi fortè gerens obſtipa caput Sus
Per medios ſubitâ vertigine concidat agros,
Sub cauda trepidam Paſtor ſecet illico venam,
Corticuliſque liget detracto ſanguine vulnus:
Dein trahat ad ſtabulum, cornuque patentia ternos
Fundat in ora (1) gari cyathos, & pinguia clauſæ
Nutrimenta Sui tepidis diſſolvat in undis.

Veſpere ne Scofras, Ovium de more, gregatim
Claudat, haræ ſed quamque ſuæ, mundoque cubili.
Namque volutabris fœdiſſima bellua quanquam
Gaudeat, atque ipſa ſpurcè verſetur in eſca,
Sordibus & ſtabulo tamen affligitur aquoſo.

Struma Suum infeſtat fauces, Anginaque guttur;
Lepraque ſquamoſos artus contaminat: ægrum
Tuſſis anhela latus quatit; & lactentior alvum
Graminis herba citat; quibus auxiliabere morbis:

(1) *Saumure.*

Nam fœdo pecori medicas adhibere recuſat
Muſa manus; & quos amor & cuſtodia fida
Commendant, Canibus curas impendere geſtit.
Sed non una Canum ſpecies: pars nata domorum
Excubiis; greſſum & menſam ſectatur herilem:
Venandi ſtudioſa Feras pars alite curſu
Inſequitur, vel nare ſagax veſtigat odorâ:
Obſequio faciles alii mandata capeſſunt,
Inſiſtunt pedibus recti, plauduntque choreas
In numerum, juſſos agili dant corpore ſaltus,
Et vacuas urbana tenent per compita mentes.
Hic levis ad curſus, abdomine tardior alter;
Ille rota verubus fixos verſabit ab alta,
Quos alius laxo Lepores venabitur agro.
Eſt quoque deliciis Matrum quæ nata Catella
Oſcula vel pendet circum, mellitaque lingit
Labra, vel in molli gremio ſedet, unde procaci
Latratu dominâ furit iracundior ipsâ.
Jamque Canes inter duris venatibus aptos
Pars juga veſtigat, pars militat æquore plano:
Ille Coturnici melior, Perdicibus alter:
Sylveſtres alius Cervos in retia trudit,
Provocat & Tauros mediâ bellator arenâ,
Intrepido fidens animo, doctuſque tenaci
Prendere dente Feram quâ parte facillima vinci.
Horridulus villis alter barbâque, natatu
Stagna levi ſecat; & plumbo ſi fixit aquoſam
Venator Fulicam, cælo quæ lapſa paludem
Verberet, & rubro fluitans vada ſanguine tingat;
Amne refert alto volucrem, Dominique reponens
Ante pedes, plausâ gaudet cervice, jubamque
Excutit, & latè rorem diſpergit in auras.
Eſt humili qui radit humum depreſſior alvo;
Demiſſæ pendent aures; ſurſumque retortâ

CANUM VARIÆ SPECIES.

Canes venatici.

Nare ſagax rimatur agros, & odora Ferarum
Ac volucrum preſſo ſequitur veſtigia roſtro.
Ille per arentes culmos huc acer & illuc
Circuit; at notos ubi naribus hauſit odores,
Hæret, & immotas volucres immobilis ipſe
Detinet, explicitos donec ſuper æquore caſſes
Viderit: in prædam tunc involat, atque minaci
Latratu proturbat aves: ſub retibus illæ
Seriùs heu! clauſum nituntur in aëra pennis,
Venantumque manu, Catuli vel dente furentis
Intereunt: Perdix, viſu miſerabile, dextrâ
Dum capitur, vitam lacrymis exorat obortis.
Sæpe Lepus, ſtipulas inter quem ſomnus habebat,
Præcipiti Canis incurſu ſubitoque pavore
Evigilans, agilemque levi dans corpore ſaltum,
Induitur laqueis, & ſe rotat æquore toto;
Sed vinclis ligat uſquè novis revolubile corpus.
Arva per & ſaltus Canis alter præpete curſu
Inſequitur claris Lepores latratibus actos;
Et Domino prædam, quibus exturbavit, eaſdem
Protinus ad ſalebras & vulnera certa reducit.
Pes illi gracilis, longa internodia crurum,
Argutum caput, & levibus vis ignea plantis;
Demiſſumque brevi pectus ſe colligit alvo.
Ruſticus impendens melioribus otia curis,
Venandi ſtudium venatoreſque relinquat
Canis villaticus. Deſidibus Catulos Dominis: ſibi quæritet acrem,
Quo cuſtode domi ſint omnia tuta, Moloſſum:
A rabidis pecus ille Lupis ſub Sole tuetur,
Excubitorque vigil pernoctat ovilia circum;
Et fures, ſi qui plenis ſubrepere caulis
Tentabunt, vel voce fugat, vel dente laceſſit:
Olli caudâ brevis, breve roſtrum, turpe vel ipſâ
Mole caput, demiſſæ aures, hirſutaque villis
Pectora

ꝺora, pes, humeri, collum, latus, omnia vaſta;
iin etiam vaſto procul intonat ore Moloſſus,
tratuque priùs, tum viſu terret, in ima
rga ſedens, dentes rictu ſi quando trementi
idat hians, clauſoque minas obmurmurat ore.
Dat natura quidem, tamen arctior hos quoque mores
ſciplina facit; vinctus ſi colla catenis
te fores jacet, & latratu ſævit inani,
premo dum Sole domos & ovilia liber
cumeat, latèque metum cum voce profundat.
genium tamen eſſe decet nec mitius; ipſis
ribus ut parcat, neque ſævum ut morſibus ultro
petat incautos, & amicum invadat & hoſtem.
Blanda venus Canibus non permittenda tenellis; CATULI.
lchraque furtivo ſi fœmina cedat amori,
aterno primos clam Paſtor ab ubere partus
noveat: neque enim rectè tiruncula prolem
ucat, & primis infans ubì mater ab annis
ctavit, vaſtos jam non excreſcit in artus.
Amiſſos quanvis repetat queribunda Catellos,
l miſerere: breves capit ætas illa dolores,
c longùm meminit raptos ex ubere fœtus,
m liceat ſibi cum paribus colludere, curſus
ercere vagos, atque indulgere procorum
nditiis, aliâ faciant qui prole parentem.
Rurſus ubì pariet, Catulos tibi ſelige binos
numero, vel delectum committere matri
placeat, faſces curvum ſinuabis in orbem:
medio ſtatues Catulos; matremque vocabis,
lmoto priùs igne: parens hortamine vocis,
d mage Natorum volat accerſita querelis:
os ut ab igne videt cinctos, auditque gementes
m propior, caſu tanto perterrita, flammas
ſilit in medias; patuloque celerrima rictu

CATULI. Nunc illum, mox deinde alium, totamque pericl●
Liberat inſtanti ſobolem: quos illa priores
Eripuit, ſepone Canes; da cætera letho
Corpora miſſa procùl, vel humo mandata; cadaver
Ne referat, gremioque parens gemebunda tepenti
Applicet, extinctum quærens revocare calorem.
Depulſos à Lacte cibis jam paſce Catellos,
Grandia qui foveant generoſo corpora ſucco.
Providus arcebis rabiem, ſi dente revellas
Compreſſum modicè nervum, qui ductus ab altis
Articulis ſpinæ caudam prorepit ad imam.
Dentibus innocuis ludens laſcivíat unam
Mordicus in matrem Catulus: ſed viribus impar;
Non homines non ore Feras invadat inermi;
Mulctatus ne fuſte, Lupi vel dente, timorem
Concipiat, quem dein plenis non exuet annis.
Interea vigili latratu nuntiet, ætas
Dum robuſta ſinat morſu proſternere furem.
Qui pecori Canis eligitur defenſor ovillo;
Acrior & longi ſit corporis, atque coloris
Unius albentiſque: Lupum ne veſpere Paſtor
Fuſte ſequens, dubio præceps errore, Moloſſum
Impetat. Ad curſum pariter rixamque paratus
Sit pedibus velox, animiſque valentibus audax:
Raptoremque Lupum juga per nemoroſa ſecutus,
Excutiat prædam; & laceratum vulnere multo
Furem abigat, ſaltus ululantem triſtè per altos;
Atque acie redeat ne ſaucius, hiſpida ferro
Colla gerat, quâ parte Canes apprendit inermes
Interimitque Lupus. Cæco fur impete fertur,
Paſtoriſque dolos & torquem oblitus aduncum
Læditur, atque ſuo fauces jam ſanguine tingit.
Lanigeros quòcumque greges hirtaſque Capellas
Paſtor agit; lateri comes & defenſor amico

[q]ue Moloſſus adeſt, & Hero famulatur, Oveſque
[com]muni regit imperio; blanditur, amatque
[bla]nditias Domini, ſua gaudia ducit ab illo
[Tr]iſtitiamque: viri non eſt vir amantior alter;
[Nec] deſertores fractis quæ rebus amicos
[Sæpiu]s adverſa fugat, nullis terroribus aufert
[Qu]em Domino Canis æternum devovit amorem.
[O]bſtupuit quondam detruſi in vincla Sabini
[Ro]ma Canem, nullis abigi de carcere plagis
[Qu]i potuit. Præceps alto de ponte Sabinus
[Mit]titur in Tyberim manibus poſt terga revinctis;
[Pro]nus & ipſe Canis ſaltu ſe jecit in amnem,
[Et] dorſo exanimum ſuſtentans impare corpus,
[Ma]luit in mediis occumbere naufragus undis,
[Qu]àm Domino ſupereſſe ſuo: mirabile viſu
[Pro]digium mœrens populus ſpectabat, amorem
[Int]actamque fidem Cane demiratus in uno.
Nec minùs ultorem Galli ſtupuere Moloſſum
[Æt]ernum facti monimentum Curia pictis
[Ser]vat adhuc muris: nudos in imagine dentes
[Ex]erit, & lacero victor Canis inſidet hoſti.
[Hu]jus ante oculos Dominus clam vulnere cæco
[Oc]ciderat, multo fundens cum ſanguine vitam:
[Vi]ſus deinde Cani mediâ Sicarius aulâ
[Co]nditam ſtimulat, memoreſque reſuſcitat iras.
[Er]go virum ſine more feris latratibus urgens,
[In]dicium oſtendit ſceleris; pœnamque repoſcens
[Irr]uit; & quanquàm Sicarius iret in armis;
[Il]laque protegeret pietas ſpectanda Moloſſum;
[Rus]tica vindicibus dens morſibus ilia rupit.
[I]n Dominos peccaſſe Canem quoque pœnitet: ædes
[Nu]per enim cùm forma viri larvata ſubiret;
[In]ſurgit Canis ore ferox, & neſcius ipſum
[Læ]dit Herum, qui detracto velamine triſtes

Amor Canum in Dominos.

Seriùs heu! retegit vultus, & vulnera monſtrat
Ignoſcenda; ſuis ignoſcere ſi quid amantes
Delictis poſſent: lucem vitamque peroſus
Delituit, certuſque mori Canis horrea Bacchi
Cæca petit, cupaque gemit ſine fine ſub alta.
Indulgens veniam Dominus, compellat amicâ
Voce Canem; ſed acerbum acuit vox cognita luctum;
Nec niſi per lacrymas & per triſtes ululatus
Reſpondens, dapibuſque negans producere vitam,
Jejunos mœrore dies abſumit acerbo.

De anima brutorum animalium.

Ite modò, & quæ vana (1.) Sophi commenta loquuntur,
Credite quòd tantos capiunt animalia ſenſus,
Seque movent ſine mente; ſuis ut machina nervis
Ducitur huc illuc; ut acus magnetica miris
Irrequieta modis partes ſe verſat in omnes,
Donec hyperboream tandem reſpexerit Arcton.
Inſtruat inſidias Canis, & per aperta ſecutus
Arva Feram, ſpernat veſtigia nota viarum,
Et petat obliquo compendia tramite, furtis
Apta ſuis! Lepus ipſe Canes poſt terga ſequaces
Ludat, & implicitos confundat odora per orbes
Signa pedum, nulloſque dolos in pectore verſet!
Expers conſilii miras exerceat artes
Simius, & fuſtis lateat formidine, culpæ
Inſcius ipſe ſuæ! capiendis piſcibus aptas
(Magnæ mentis opus) (2.) Fiber alto in flumine moles
Ædificet! tantâ nidos Avis extruat arte!
Venturæque hyemis memores æſtate reponant
In commune cibos Apis & Formica; nec ullum
Ingenium divina regat molimina rerum!
Hæc ut vera putes, ſi quis ſuadebit, eiſdem
Eripiet verbis humano è corpore mentem:
Et ne plura ſequar, ſed ab uno exempla Catello

(1.) *Cartheſius*, Epiſt. 47. (2.) *Caſtor.*

Indubitata petam; fidas ad limina cuſtos
Excubias agit, & nutus obſervat heriles;
Ut quò juſſa vocant velocior advolet: idem
Nunc hilari congaudet Hero, nunc triſtior ægro
Aſſidet, & ſocias vindex aſſurgit in iras:
Ponè ſubit comes aſſiduus, Dominique ſepulchro
Immoritur; neque quid ſit amor, quid gratia novit!
Hæc agitent ſecum vacuæ deliria mentes,
(1.) Queis licitum fuit ex uno vel ſimplice motu
Materiæ in quadrum ſectæ diffundere terras,
Et Maria & Cælum, & ſpectabile quidquid in orbe eſt:
Qui potuere levi de pulvere fingere (2.) Solem,
Præliaque & noſtros (3.) Stellis aſcribere motus:
Namque aliis alias concurrere, duraque Cælo
Bella movere volunt, regnique extendere fines,
Aut ſubigi, alteriuſque ſequi per inania morem;
Incertaſve loci propria ſine ſede vagari;
Qualis vicino jam turbine victus oberrat,
Dira ſuo caſu portendens fata (4.) Cometes:
Qualis & aſtrorum quæ decidit ordine (5.) Tellus
Lumine caſſa ſuo, Phœbique abſorpta rapacis
Vortice, jam Cælo ſequitur victoris ovantes
Solis equos, tentatque in priſtina jura redire:
Nam ſi vera canunt, fatalibus abdita cruſtis
Terra poteſt fracto reparare putamine lumen,
Noſque repentinis ardens involvere flammis.
At contra (6.) Phœbo metuunt, creſcentibus olim
Ne maculis piceo radios & lumen amictu.

(1.) *Cartheſius*, *parte* 4. *princ.* §. 2.
(2.) *Idem*, *p.* 3. *princ.* §. 54.
(3.) *Ibidem.* §. 119.
(4.) *Ibidem.*
(5.) *Idem*, *p.* 4. *princ.* §. 2.
(6.) *Idem*, *p.* 3. *princ.* §. 94.

Contegat, & mundum tenebris obnubilet atris.
Ludat & in brutis, Cœlo qui luſit in alto
Cartheſius, novus Aſtrorum fabricator, & orbis
Egregius fictor. Tu, Ruſtice, vana Sophorum,
Somnia contemnens, animalibus utere, laudans
Ingenium rerum ſolers cautumque futuri;
Nec pudeat facti memorem ſociumque fidelem
Ingratis Catulum famulis, Natoque rebelli
Objectare Bovem; pueri qui juſſa faceſſit,
Debellare potens Urſos, torvoſque Leones.
Incautæ memora triſtiſſima fata Cicadæ,
Quæ matutino canit ebria rore, dieſque
Præterit æſtivos & tempora meſſis; inani
Ut recreet ſeſe ſtrepitu: ſapientior almas
Dum ſterili ſegetes Hyemi Formica recondit.
His ſuper Agricolam carpes, qui gaudia vitæ
Vana ſequens, curas extendere neſcit in annum;
Et quem dira fames, Brumâ redeunte, fatigat.
Veſpere ad hybernos redeant tibi ſæpius ignes
Triſtior atque gemens amiſſo compare Turtur,
Fida Columba viro, patrumque Ciconia nutrix;
Quæque diu rimata ſolum Gallina, repertis
Abſtinet ipſa cibis, pullos ut paſcat edaces.
At neque melliferæ durique laboris amantes
Prætereantur Apes, tectis quæ dulce ſub iiſdem
Unanimes agitant ſtudiis concordibus ævum;
Nec ſibi mella vehunt flores quæſita per omnes,
Communem referunt ſed in horrea publica victum.
Cætera rus oculis quæ paſſim exempla reponit
Proſequere; & varias animantum ediſſere curas:
Gaudentes pueri circùm narrantis ab ore
Pendebunt, tacitumque bibent virtutis amorem.





PRÆDII RUSTICI

LIBER V.

Arbores.

QUID moror Arboribus curas adhibere colendis,
Pomorum genus omne ſolo deponere, montes
Quercubus & colles Oleâ veſtire ſupinos.
Cætera ſufficiunt labor indefeſſus & aurum;
Longa ſed annorum ſeries pomatia fructu
Nobilitat, celsâque pigros tegit Ilice campos.
Quare age ſi nudo placet umbram accerſere fundo;
Pomaque fœcundis olim decerpere ramis
(Dulcis enim ex illa quam ſeveris arbore fructus)
Inſta operi, plantaſque ſolo defige feraces:
Elice vel ſterili natum de ſtipite pomum,
Dives adoptivo pariet quod germine truncus.
Huc ades, ignaris mecum ſuccurre Colonis; LAMONIUS,
Quæque domi ſervas, ſtudii monumenta paterni, *Princeps*
Scripta ſuper plantis in publica commoda profer *Senatûs*
Lamonide: genitor nam cùm tuus alta teneret *Pariſini.*

Regna fori, ſacræ Themidis legumque ſupremus
Arbiter, ad curas animum demiſit agreſtes;
Hyſſopumque novus Salomon Cedrumque ſecutus;
Arboribus morem impoſuit populiſque, labores
Urbanos blando recreans moderamine ruris.
Quippe viro requies operum fuit altera ſemper
Cura novuſque labor; vacuaſque forenſibus horas
Litibus Autumno decorandos ſcriptor in agros
Contulit; ut legum ſua qui frænabat habenis
Tempora, venturis impenderet otia ſeclis.
Quæ decreta tulit Pater optimus, illa Senatus
(Judicii normam) ſibi ſervet habenda, graveſque
Hac trutinâ cauſas & jus examinet anceps;
Noſque Bavillæo quas idem rure ferendis
Arboribus leges dabat & præcepta, ſequemur.

OLEA. Noſtras interea quas prætermiſit Olivas
Hinc canere aggrediar: neque enim eſt quæ pallida quanquam
Blandiùs agricolis arbor ſpectetur avaris;
Sive racemato faciat ſpem flore, nigrantes
Prodiga ſeu fœtu curvaverit ubere ramos.

Qui tepidos exilis ager converſus ad Auſtros
Nec ſabulo macer eſt, glebâ nec pinguis opimâ;
Ille ferax Olearum: illum concîde cavatis
Ante Hyemem ſcrobibus. Vicino è colle petitam
Sponte ſuâ dabit ipſa parens in ſemina prolem,
Quæ fruticat paſſim ſub amica junior umbra;
Et teneram radice ſuâ dotabit Olivam.

Parce ſeneſcenti matrum de corpore plantas
Tollere: longævum vexat ſtirps eruta truncum.
Enatos primo frutices corrodat in ortu
Grex Ovium; ſoboli niſi fortè placebit habendæ
Devoviſſe Oleam veterem; truncoque reciſo
Vivaci de ſtirpe novas educere virgas.

Eruat, & Brumæ ſub frigora prima Colonus Olea.
Radicata ferat truncis plantaria ramis:
Sed caput antè luto velet muſcoque virenti,
Et vinclis conſtringat; Hyems ne frigore venas
Occupet, & totâ deſæviat arbore peſtis.
Gaudentem clivis Oleam ventoque feraci
Ordinibus ſerito laxis; ut utrinque patentes
Explicet, & latè quondam protendat in orbem
Grandis Oliva comas: nam quæ caput ardua Cœlo
Coniferum tollit, raris ſe fructibus arbor
Induit, & ſolâ foliorum exuberat umbrâ.
Altior emineat truncus, ne pondere curvas
Grex avido poſſit frondes depaſcere morſu.
Erecto viden' ut collo ſublimis in imos
Attollit ſe Capra pedes; ſi fortè diebus
Æſtivis humiles inter ſtabulatur Olivas.
Dilue fœda Boum cœnoſis ſtercora lymphis;
Quaſque ſuus per ſe ſatis haud defendit amaror;
Ingrati tutare comas aſpergine roris.
Si nimiis agitetur iners arbuſcula ventis,
Vel flecti facilis dorſo decedat iniquo;
Quercus opem propè fixa dabit, rectamque docebis
Acres ſtare Notos contra Boreamque furentem.
Tempeſtivus ubi nimbis ſe fuderit imber;
Aut Oleas fodito circum, vel totus aratro
Proſcindatur ager; quibus arbos excita curis
Tarda tamen veniet, ſed duratura per ævum.
Nam veluti creſcit ſenſim, multoſque per annos
Perficitur, ſubito nec prodit ab impete mentis
Plurima durando vincat qui ſecula fœtus
Ingenii; ſic terra breves Ficuſque Pyroſque
Præcipitans, ubi vel Tilias vel in altera Quercus
Cogitat aut Oleas tranſmittere ſecla, morarum
Jam patiens, longo pòſt tempore brachia fundit,

Prævalidis poſtquam truncus radicibus hæſit.
Lactea dum teneris adoleſcit frondibus arbor;
Et primis Oleæ incipiunt nigreſcere baccis;
Durior ah! fragiles ne rumpat pertica ramos:
Carpe manu quos à terra contingere fructus
Arboris hâc ætate potes: cùm deinde ſonoros
Ferre flagellantum poterit jam fortior ictus;
Ruſticus adverſam feriens ne cædat Olivam;
Sed quatiat gravidos obliquo verbere ramos;
Excipiens baccam telis, quam veſpere ſero
Jactet in oppoſitos ſpatium per longius Euros;
Triticeas levibus ſegetes ut ventilat auris.

ARBORUM VARIETAS.

Arbore jam nimiùm, reliquarum oblitus, in una
Demoror; & patriæ ſtudio percuſſus Olivæ,
Non video quantam verſu decurrere ſylvam
Et quàm diſſimiles habeam vel fingere ferro,
Fœcundare novo ſteriles vel germine plantas.
Halanti pars flore micat: pars utilis umbrâ
Luxuriat ramis: pars nobiliore graveſcens
Pondere, curvatur pomis. Juvat ire per omnes
Arboreos fœtus; quoniam fert omnia dives
Quæ colitur nobis placido ſub ſidere tellus.

NEMORA.

Principiò nemoris quæ forma, moduſque ferendi
Expediam: neque enim Villis accedere major
Poſſit honos, denſâ quàm nubilus arbore lucus.
Sylvarum ſtudioſa, ſuos cum Gallia quondam
Vix aleret cives, patriâ migrare relictâ
Atque peregrinos aliò deferre penates
Maluit, exciſis victum quàm quærere ſylvis.
Hæc ubi jam nemorum reverentia tanta, bipennes
Ut teneat? noſtros ubi grandior ulla per agros
Quercus ad annoſam, ferri ſecura, ſenectam
Durat? inacceſſis niſi conſita montibus, ipſo
Se defenſa loco tueatur: ſi qua ſuperſunt

NEMORA.

A Patribus nemora ad ſeros tranſmiſſa Nepotes,
Illa nec æſtivo frondent impervia Soli,
Nobile nec Cælo caput abdunt, qualia quondam
Vulgus adorabat truncis procera verendis:
Sed veteri de ſtirpe, novo ſurgentia ramo,
Et quatuor poſt luſtra nigros viſura caminos,
Vix Lepori hoſpitium præbent, ſylveſtribus olim
Quæ timidos latebris Damas Urſoſque tegebant.
Ecquis honos ruris, nemorum ſi gratia deſit;
Obſeſſuſque domi maneas, cùm Sirius ardens
Debacchatur agris; viridique ſub Ilicis umbra
Irriguo poſſis nec tradere feſſa ſopori
Membra, nec æſtivos ramorum frigore Soles
Frangere, nec taciti per amica ſilentia Luci,
Multiſonos Avium concentus inter, ad aptos
Sponte ſuâ veniens numeros, contexere carmen.
Quare age & extendens ventura in ſæcula curas,
Sylveſtres ſerito Quercus: ſi pronior ætas
In ſenium vergat; nec jam tibi vita ſuperſit
Quanta ſat eſt, blandis tenebroſa receſſibus olim
Ut nemora aſpicias; frutices gaudebis opacis
Exultare comis, tenueſque aſſurgere in auras,
Atque peregrinam tecto invitare virenti
Luſciniam vernis mulcentem cantibus aures:
Quæ ſi non animum ſylvæ naſcentis imago
Moverit; at dulces non oblivíſcere Natos,
Nec tibi ſed retro venturis conſere ſeclis.
O! mihi Loiolidæ juvenes, in noſtra receptâ
Caſtra recèns, ô ſi veterem fas reddere lucum
Fletibus avulſum dolui quem nuper amaris!
Ipſe labore manum tererem, noſtramque levarent
Triſtitiam caris proviſa ſodalibus olim
Gaudia. Præcipites Cæli quâ parte procellas
Molitur Boreas; domibus contermina noſtris

NEMORA. Vomere proſcindens ter vel quater arva, ſativam
Obruerem glandem; quæ nata cacumine molli
Cùm primùm inciperet maternam findere terram,
Jamque ſolo frondere, greges procul inde repellens;
Confuſas ultro paterer ſylveſcere plantas.
Junior effuſis cùm dein arbuſcula ramis
Laſciviret agro, naſcentes fronde levarem
Ante gelu Quercus; & ſemina pauca relinquens
Eruerem malè nata, tegens loca nuda coævis
Ilicibus, procera priùs quàm ſylva comantes
Altiùs aëreas truncos efferret in auras.
Nam Proceres ut in urbe, tenent qui culmina rerum;
Obſcurant humilemque vetant aſſurgere plebem:
Sic nunquam ſe parva nigris in ſaltibus arbor
Tollit humo grandes inter, quæ vertice celſo
Aſtra petunt, umbrâque premunt graviore minores.
Ac demum ſpinis ima de ſtirpe reciſis,
Horridulum purgare nemus plantaſque tenellas
Aggrederer formare, comas & brachia ferro
Dejiciens, primo labor opportunus in ævo:
Quercus enim per ſe ramos jam grandior imos
Exuit in ſylvis; & quæ ſpatioſa per agros
Funditur, ingentem paſſis dans frondibus umbram;
Arboribus circùm creſcentibus, æmula Cælo
Fert ſublime caput, Solemque affectat amicum;
Huc totas profundit opes, nec curat alendis
Vitales terræ ſuccos impendere ramis.
Si placet arboribus primos ornare domorum
Introitus; triplici tendant umbracula verſu
Ulmus, Tilia, Cupreſſus, Carpinus, Charme. Ulmus opaca, leves Tiliæ, vel tonſa Cupreſſus
Parietis in morem, vel Carpinus ire per omnes
Obſequioſa modos, hortiſque virentibus addens
Grande decus; ſeu tonſa comas curvamine pulchro
Flectitur, & longos imitatur fornicis arcus;

Seu

Seu labyrinthæo non obſervabile flexu
Turbat iter; quod ſi tenebris quis captus amœnis
Ingreditur, vix ſe dubiarum ambage viarum
Expediet; ſed per calles errabit eoſdem,
Ambiguos referens ſua per veſtigia greſſus.
Jucundam vicina domo quoque ſufficit umbram
Morus; at illa comæ longum non ſervat honorem: MORUS.
Namque renaſcentes ubì miſit in aëra frondes,
Dura puellarum manus inſtat, & arbore vernas
Tollit opes, avidis dulcem Bombicibus eſcam.
Triſte quidem, ſed non tamen irreparabile damnum;
Si reduci cum fronde decens quoque forma rediret;
Sed lacera ſicci pendent ex arbore rami,
Quos properæ verno fragiles humore puellæ
Decuſſere manu. Vos ô! dein parcite ſummis
Frondibus, & lævâ capita indetonſa tenentes,
Flexibiles ductâ virgas abradite dextrâ;
Ne præciſa comas ſcabrum caput horrida Morus
Exerat, & turpi reprimens haſtilia nodo,
Indecorem rarâ truncum vix contegat umbrâ.
Quod domibus quæro, toti decus addere regno
Lege datâ voluit Princeps; cùm ſtrata viarum *Viæ publicæ arboribus cingendæ.*
Arboribus cingi poſitis hinc inde jubebat;
Grande viatori quondam ſolamen in æſtu,
Nec modicum, ligno jam deficiente, caminis
Auxilium: ſed quid leges ſine moribus? arbor
Conſita ſi qua fuit, manibus poſitoris avari
Vellitur, aut tacito perit interfecta veneno;
Triticeis noceant olim ne meſſibus umbræ.
Inſta operi, Lodoix, ſi mulcta leviſſima, Pagi
Vectigal minuens, legem firmaverit: annos
Poſt aliquot fatis creſcet melioribus arbor
Ornatura vias; & te ſi digna futuri *Reſtituenda nemora.*
Cura movet, totam nemorum, quæ pauca ſuperſunt,

Anteveni cladem : facilis labor ; arva novellis
Ilicibus Pinuque recèns veſtita, tributi
Libera ſint, paſſimque novas mirabere ſylvas.

ARBORES FLUVIALES. Fluminibus gaudent Salices & Populus alba :
Lætior hinc amnis facies labentis in umbra;
Hinc pecori frondes, domibus tabulata, caminis
Arida ſufficies alimenta, ſolumque tenebis
Arboreis vinctum radicibus ; amnis adeſos
Illabens ne rodat aquis mordacibus agros.

Alnus, Aulne. Sæpe tibi fluvius Salices tellure revulſas
Auferet, & teneras ſecum trahet auctior Alnos :
Nil minùs incœptos iterabis Vere labores,
Et novâ gramineis figes plantaria ripis.
Si ſemel hæſit humi radix firmata ; ſuoque
Continuit ſe lympha diu tranquillior alveo ;
Indomitos & lenta Salix & vilior Alnus
Frænabunt curſus ; & inexſuperabile flumen
Quod latè premit arva ſonans, & gurgite moles
Diruit oppoſitas, volvitque rotantia ſaxa ;
Nequicquam littus feriet nemorale, ſuoque
Defenſos numero truncos : torrentibus ultrà
Perget aquis, immanè fremens ; teſtemque furentis
Diluvii ſpumam limumque in fronde relinquet.

Salix. Pratorum quoque glauca Salix non indecor oras
Cinget, & epotis creſcet ramoſior undis,
Lentaque præbebit frænando vincula Baccho.
Humenti figenda ſolo cuneatur, & (ortu
Non moroſa) citat ramos ; ac ſæpe revulſus
Exucco palus Salicum de faſce, tenellis
Detur ut arboribus cuſtos tutorque, renatâ
Fronde viret, plantamque gravi premit improbus umbrâ.
Atque ut cæca rapit mors optima quæque ; ſalignum,
Extinctis Tiliâ aut Ulmo, mirabere palum
Fundere vicino pallentes funere ramos.

Perpetuum Buxus ſervat quæ frondis honorem, Buxus,
Saxoſos olim montes inculta tenebat :
Hortorum nunc criſpa vias diſtinguit, & errat
Mille modis rubeos inter viridiſſima flores ;
Juſſa vel in muri ſpeciem conſurgere, clauſum
Ornat & hirſutis vallat pro ſepibus hortum :
Dat thalamos eadem mollique ſedilia fronde ;
Et teneros longo flectens curvamine ramos,
Exhibet æſtivis impervia Solibus antra ;
Tonſaque forficibus, rabidi nunc ora Leonis
Exprimit, aut arcu jaculantem tela Dianam :
Nunc turrita viret ; longi nunc torta Colubri
Proſilit in faciem : paſſas nunc explicat alas
Inſtar Avis, ſuperas quæ viſa tenere volatu
Velle plagas, hæret pedibus tellure refixis.
Ad quaſcumque voles magis ingenioſa figuras Taxus, If,
Taxus in irriguis creſcet formoſior hortis :
Sive rotundatur ferro, terriſque jacentem
Orbiculata globum reddit : ductilve per artem
Frondibus æthereos imitatur flexilis arcus,
Vel Solis radios, gracilis vel cornua Lunæ :
Seu detonſus apex in acumen definit, altæ
Pyramidis ritu ; ſeu gnavus in ora Ferarum
Aut Hominum ramos Olitor jubet ire ſequaces.
Quid loquar aut Myrthos humiles, aut præmia Vatum Myrthus,
Pierias Lauros, aut flexile vimen (1) Acanthi,
Hirſutamque comis Pinum triſteſque Cupreſſos ;
Quid (2) Platanum & ripis lætam declivibus (3) Alnum,
Voſque peregrino (4) Caſiæ quæ nuper ab orbe Casia,
Veniſtis, murum dociles veſtire, domorumque
Atria Vere novo ſcenâ decorare virenti ;
Teque ſuſurranti quæ Popule contremis umbrâ, Populus,

(1) *Branche urſine.* (2) *Plane ou Platane.* (3) *Aulne.*
(4) *Acacia.*

Et te Abies quæ paſſa truces in montibus Auſtros;
Ad mare deſcendes alios viſura tumultus.

ARBORES FRUGIFERÆ. Invitant aliò pomis nos dulcibus horti.
Hic labor, hinc operum merces ſperanda Colonis:
Ergo novo jam Vere manus adhibere cavandis

Scrobes. Edicam ſcrobibus; vitium telluris ut Æſtas
Percoquat; & ſalibus gravidet ſola fertilis aër.
Scrobs autem cono ſimilis fodiatur; ut agri
Interiore ſinu radix diffuſa vegetur
Laxiùs; & nimios humus extima reſpuat imbres.

Plantarum delectus. Semina recta leges, nullis deformia nodis
Ulceribuſque: tripes arbor tria brachia pandet;
Ut mediam teneat ſe firmiùs, atque comantes
In patulum ramos ſpatioſior explicet orbem.
Venali ne crede nimis: nam ſæpe per urbem
Vendibilis jactata, ſolo deponitur arbor
Jam prope ſicca, diu nimiùm quia pabula tellus
Nulla dedit: ſpem ſæpe tuam fruſtratur, agreſtes
Ingratoſque ferens mentito nomine fructus.

Seminarium. Semen agro dabis ipſe tuo; primamque parabis
Arboribus ſegetem: ſi deſint ſemina, mollis
Arbore detrahitur ramus, clauſuſque lagenâ
Ad tepidos alitur Soles pluvialibus undis.
Si fontes bibat uſque novos; jam menſe peracto
Truditur ex ima brevior radicula parte:
Robuſtis tum planta cibis nutritur; humuſque
Trita manu miſcetur aquæ: mox cortice rupto,
Cùm teneras meditatur hians arbuſcula frondes,
Deponenda ſolo eſt, tractandaque molliter; acri
Ne Brumâ torpeſcat iners, aut Sole ſitive
Ardeat, immodico vel palleat ebria potu.

Arborei porrò fœtus non omnibus æquè
Proveniunt agris: neque enim nutritius idem
Humor ubique ſubeſt; radice nec unus in omni

Contextus ſimileſque viæ, queis pabula terræ
Omnia ſuccedant. Hinc ſemina mutat Arator,
Et Milium ſparſamque ſolo committit Avenam,
Triticeis alimenta negant ubi meſſibus agri:
Namque novas novus inſinuat ſe ſuccus in herbas.

Interiit quibus antè locis vetus arbor, eiſdem
Altera vix oritur: vitalem ſive ſuperſtes
Præripiat ſuccum radix; ſeu tabida labes
Imbelli funeſta ferat contagia plantæ.
Attamen ut paribus ſpatiis ſtent ordine longo
Arborei trunci; vacuis ubì ſedibus hæres
Reſtitui debet; vaſto telluris hiatu
Foſſa diu pateat: tum ſtirpibus igne peruſtis
Purgatoque ſolo, terram de valle petitam
Et putribus pinguem foliis ſupplere memento.
Sic cum peſtifero quis funere polluit ædes;
Omnia contactu fœdo temerata feneſtris
Ejiciunt procul; & (diræ purgamina peſtis)
Nuda ſalutiferis inodorant mœnia fumis.

Arbores ſubſtituendæ.

Obſervare polos juvat, & quo cardine Cæli
Conſtiterant, eidem molles opponere plantas:
Pabula ne ſubeant ægrè; ſi reſpicit Arcton
Quæ ſteterat pars antè Notis obverſa: minores
Nam Boreæ de parte latent ſub cortice venæ.
Parciùs hinc ſuccum Sol è radicibus imis
Evocat: ecce vides ut in Ilice plurimus ovi
Circulus in faciem truncis inſcribitur, Auſtros
Craſſior ad tepidos, gelidamque exilis ad Arcton.
Hâc ratione plagas Cæli (cum fortè per altos
Devius erraſti ſaltus) & quà ſit eundum
Invenies, plano ramum ſi demetis ictu:
Aſpice quâ cortex propior ſit parte medullæ;
Frigidus hinc oritur Boreas: contrarius Auſter,
E regione venit. Si terga obverteris Axi,

Occiduo tibi dexter erit flans Caurus ab orbe;
Lævus ab eois Eurus, qui naſcitur oris.

Arborum compeſcenda luxuria. Junior in frondes ſi ſe profuderit arbor,
Radices oblita ſuas defigere terris,
Falce recîde comas; ut ſtirpem ſuccus ad imam
Defluat, & primo truncum confirmet in Ævo.
Frugiferis ſic Vere greges immittimus arvis;
Ut ſeges aſſurgat tonsâ generoſior herbâ,
Nec culmus gravidæ quondam ſuccumbat ariſtæ.

Pinguior è media cùm proſilit arbore ramus,
Dulcia præripiens reliquis alimenta, fameque
Conficiens; ferro tolles, ſuccumque docebis
Permutare vias & in omnes partibus æquis
Ire comas, virgæ nimis indulgere nec uni.

(Ubi de Hirudinibus ærarii.) Atque utinam novus è populo cùm civis ad amplas
Sic emergit opes; ſpectans ad publica vulgi
Commoda Rex, premat indecori quod in aëra faſtu
Altiùs erigitur caput; & quas ſubtrahit unus
Divitias regni, populum diffundat in omnem;
Nec ferat exitio reliquorum creſcere vilem
Obſcura de plebe virum, noſtræque ſuperbis
Ædibus & luxu dapis inſultare ruinæ.

INSITIO. In teneris quanquam meliùs reſpondeat annis
Inſitio; ſi quos tamen emendare placebit,
Aut uno varios trunco confundere fructus,
Non ſimplex modus eſt alienum immittere germen.

(1.) Fiſſus enim ſcalpro cortex aperitur acuto:
Non tamen (ut Vatum princeps monſtrabat) in ipſo
Quà tunicas oculus rumpit, fit rimula nodo;
Sed potiùs quà ſe nullum de cortice trudit
Germen, ubi nitidus locus eſt, & nulla cicatrix,
Ex alia tener huc includitur arbore ramus.

(2.) Vel cæſo in ſcuti faciem cum cortice, gemmam

(1.) *Ente en fente.* (2.) *Ente en écuſſon.*

Felici natam tollit de ſtirpe Colonus;
Deque maritanda decorticat arbore, quantùm
Abſtulit ex alia corii: tum fœdere miro
Germen adoptivum ſpatiis æqualibus aptat.
Commiſſura luto tegitur, conſtrictaque lento
Vimine gemma, novis inoleſcit ſedibus hæres.
(1.) Arboribus demum ſuperat cùm mollibus humor;
Eligitur teres, & ſolidus, gemmâque frequenti
Surculus: hunc acuunt ferro, cuneique figurant
In ſpeciem: ramis dein infelicibus arbor
Exuitur: vertex reſecatur; & antè ſubactis
Quàm mediâ cuneis via ſinditur arbore, truncum
(Ne nimiùm procedat hians ſciſſura) tenaci
Fune ligant; rimæque ferax immittitur altè
Surculus; & Brumæ nimios immobilis imbres
Ut toleret ventoſque, luto componitur unà
Muſcus, & intortis religatur faſcia vinclis.
Incluſos viridi mos eſt aſtringere ramos
Vimine: nos juncos & mollia vincla probamus:
Angit enim plantam, cùm vimen inaruit æſtu.
(2.) Vertice præterea cæſo, cùm plurimus humor
Vere ſubeſt, hinc inde frequens ſub cortice ramus
Inſeritur; truncumque novâ quaſi prole coronat.
(3.) Fiſtula vel ſalvis educitur integra gemmis;
Arboris alterius nudatum cortice ramum
Ut tegat, ingratos emendatura ſapores.
Quæ Pariam decorat pomis & floribus urnam
Citrus, ad agreſtes truncos delata, feracem
Hoſpitio ramum ſic jungit, ut ille parenti
Hæreat, & duplicem geminâ trahat arbore ſuccum;
Deinde novo cùm jam victu conſueverit uti;
Tollitur avulſus matris velut ubere ramus.
Inſitione nihil ruris cultura, vel uſu *Inſitionis utilitas.*

(1.) *Ente en poupée.* (2.) *Ente en couronne.* (3.) *Ente en flute*

Uberius, viſu vel pulchrius extudit: illâ
Scilicet arte feros cogunt manſueſcere fructus:
Nobilitata novis ita frondibus arbor ubique
Provenit: & Ceraſos, nec non gaudentia ſicco
Perſica Mala ſolo pingues uligine campi
Parturiunt; Ceraſi ramum ſi truncus adoptat
Humentis patiens terræ: ſic hiſpida ponens
Tela Pyrus, nova poma, novas miretur & umbras.
Horridulos ita Caſtaneæ Nux ardua fœtus
Lævigat; & Prunus dat Cerea poma, ſuumque
Fraxineo nomen trunco: ſic inſita Malus
Fœcundat Salices; & ſpinis natus alendis
Flore micat, fructuque Rubus gravat ubere ramos.
Ilignâ ſic glande pluit frondoſior Ulmus:
Sic Ceraſo mutat Laurus phœbæa corymbos;
Atque ſuperba novo ramorum fœdere Morus
Flore Citri niveo candeſcit; & unde puellæ
Bombices aluere ſuas, hinc aurea carpunt
Mala ſibi; niveoque ſinus hinc flore coronant
Unde novâ calathos implebant fronde capaces.

(Ubi de almo terræ ſucco)

Sic unâ varii pendent ex arbore fructus;
Ductus & ex iiſdem radicibus, unus & idem
Succus Amygdaleo fœtu dureſcit, aquoſa
Mollior in Pruno; niveis hinc floribus albet,
Hinc Ceraſo rubet, aut Moris nigreſcit: acerbos
Parturit, & dulces fructus; atque omnia rerum
Transformat ſeſe novus in miracula Proteus.
Quin etiam varias ſubiens mutabilis herbas,
Allia qui pariet graveolentia ſuccus, Ocellos
Vicinamque Roſam miro perfundet odore;
Purganteſque ferens Malvas gelidamque Cicutam,
Incutiet morbos, morbiſque medebitur idem.

Multiforis ut quæ tubulis fluit, una figuras
Mille refert, nunc in cyathos aqua concava, rectos

Nunc in ariſtarum faſces hirſuta, recurvas
Tenſa vel in mappas: eadem micat ardua Cælo,
Carbaſeoque ſinu tumet, aut radiantia Solis
Lumina, cæleſtem vel mille coloribus Arcum
Exhibet, aut pluvio diſpergitur imbre: Draconis
Nunc contorta modo, teli nunc miſſilis inſtar
Ejaculata, leves aſpergine verberat auras.

Arbor adoptivos primo generoſior ævo *Inſerendi tempus.*
Accipiat ramos: ut enim ſanabile vulnus
Perfacili coit in membris puerilibus arte;
Sic levis in tenero fit cortice plaga; dieſque
Poſt aliquot trunco coaleſcit in hoſpite ramus.

Non quaſcumque voles plantas tamen excipit omnis
Arbor ad arbitrium; veteres nec vincere rerum
Fas inimicitias, & conciliare Pyroſve
Quercubus, aut Vites Oleis Bacchumque Minervæ.

Natali ſata trima loco mutabis, amicam PLANTARUM SATIO.
Arboribus terram & loca commodiora requirens.
Si quæ mutatis vel non comprenderit arvis,
Aut enata parum fauſtè ſucceſſerit arbor;
Inſta aliis; & quære magis cui commoda tellus
Et Cælum faveant, quàm quæ vel divite fructu
Nobilior foret, aut viridi ſpecioſior umbrâ.
Siccior & tepidis humus Auſtris prona ſaporem
Commendat, molem præpinguis & humida tellus.
Inde petes fructum qualem ſtructura requirit
Pyramidum, quæ non ſtomachum ſed lumina paſcunt;
Et quibus ut pictis gaudet conviva tabellis.

Eligitur Pomis ager opportunus alendis, POMUS
Cui natura magis rivus quàm ductilis æquum
Sufficit humorem: loca nec montana recuſant,
Nec graciles, modò lympha ſitim compeſcat, arenas.
Attamen ut Pomi fœtum ſola pinguia vulgò
Degenerem pariunt, hebetantque ſaporis acumen;

Sic ubì ſicca nimis tellus erit, arbore paſſim
Immatura cadent, & vermibus obſita mala.
Herbida conveniunt Pomis quoque prata ſerendis:
Pomus enim, ſi nata ſuis ſemel hæſerit arvis,
Agricolæ non curat opem; ſine vomeris uſu
Parturiet fructus, quos mollior herba caducos
Excipit innocuâ, vento quatiente, ruinâ.

Ficus. Ficus amat Soles, nec apertis creditur agris,
Fridigior quâ ſævit hyems regione; ſed urnis
Grandibus impoſitam, Brumâ redeunte, quotannis
Securam ſub tecta ferunt, Cæloque redonant,
Mollis ubì Boream Zephirus procul egit ad Arctos.
Nos autem Ficum mediis vel ponimus hortis,
Aut humiles inter Vites, nudoque jubemus
Sub Jove dura pati brumalis frigora Cauri:
Quanquam confiſos nimiùm deceperit atrox
Nuper Hyems; & Ficus agro defecerit omnis,
Inſolitam ſecum ſtragem mirante Colono.

Incolumem gremio ſtirpem quæ terra tepenti
Foverat, in partus ita feſtinavit, ut arvis
Triſtia vix ſuperent tantæ veſtigia cladis:
Ficus enim ſubito ramos adoleſcit in altos,
Sed brevis eſt quoque vita: rapit mors alite fato
Præcipiti quidquid partu Natura creavit.

(Ubi de novorum hominum inſtabili fortuna.)

Hunc Fortuna ſequi morem conſuevit: in altum
Attollit ſubitis opibus, celerique rotatos
Turbine Mortales ab honorum culmine ſummo
Præcipitat; gremioque novum depromit alumnum
Quem pariter monſtret tenebriſque recondat avitis.
Quò fuerat domus editior, graviore ruinâ
Concidit; ut ſylvis quam demiratus in altis
Umbriferas Cedrum tollentem ad ſidera frondes
Viderat; ex alio rediens mox orbe Viator,
Circumfert oculos; & quæ nemus omne premebat,

Quæritat incaſſum Cedri caput: una ſuperſunt
Arboribus circùm laceris veſtigia casûs.
Ficulnos memor uſque ſolo defigere ramos,
Elige petroſum collem: loca ſaxea Ficum
Nobilitant. Quanquam Cæli plaga mitior ortam
Excipiat, primo tamen indulgere ſub ævo
Proderit: idcirco vacua internodia cannæ
Divide; quo capitis quaſi tegmine frigoris arcens
Vim gelidam, mollis tutere cacumina plantæ.
Ut feſtina ſuos alienis menſibus arbor
Parturiat fœtus oleum Cepaſque rubentes,
Rugoſumque Piper fluvialibus incoque lymphis;
Quo radix animoſa ſuos medicamine fructus
Præcipitet: pullam contrà remorabere Ficum,
Naſcentes primo groſſos ſi decutis ortu:
Nam fœcunda novis ſe fructibus induit arbor;
Quos improviſo nonnunquam frigore Caurus
Occupat, & dulci prohibet miteſcere ſucco.
Mollior eſt Citrus, & magnis obnoxia curis: CITRUS.
Hanc niſi ſtructilibus tectis & ſtramine multo
Defendas Hyemem contra; vix frigus acutum
Durat, in apricis quanquam ſit conſita terris.
Imbellem capit urna capax; & mobilis arbor
Æſtivos medio, Soles nunc captat in horto,
Fornicibus nunc ſub longis impune furentes
Audit tuta Notos: & cùm riget, atque caducis
Nuda comis deforme caput fert Quercus in auras,
Illæſum retinet Citrus aurea frondis honorem,
Malaque floriferis hærent pendentia ramis.
Lignea quæ Citros geſtabunt vaſa, ſub altis
Porticibus, ſerie longâ ſpatiiſque viarum
Inter ſe paribus diſtent; ut Vere fruaris
Perpetuo: te namque domi ſi quando tenebunt
Invia vel tellus, aut intractabile Cælum;

Frigoribus mediis ſpatiaberis inter odores
Veris, & Autumni pulcherrima dona, virenti
Poma ſimul niveoſque legens ex arbore flores.

NUX. Deſpectura truces olim Nux grandior Euros
Apricis adoleſcat agris: ibi ſemina prima
Humidulas depone nuces, teſtamque minorem
Subjice; radicem naſcens ut latiùs arbor
Spargat, & inſani quondam vim perferat Auſtri.

Terque quaterque ſolum primo Nux mutet in ævo;
Nam patriâ veluti procul à tellure juventus
Creſcit laude novâ: teneris ſic arbor in annis
Nativo tranſlata ſolo caput altiùs effert,
Et ramos fœtu gravat uberiore comantes.

Laxiùs inter ſe diſtent; ne triſtibus umbris
Vexet, & alterius diverberet altera frondes;
Depereatque tener per mutua vulnera fructus;
Et quia per vacuum paſſis ampliſſima ramis
Funditur, & nocuâ ſegetes interficit umbrâ;
Occupet extremos agrorum in margine fines,
Non conjuncta viæ tamen, aut vicinior urbi;
Præteriens matura petat ne poma viator,
Et laceros mutilet ſaxorum grandine ramos.

Quæ legitur, necdum fiſſo Nux cortice rimas
Egit hians, corium paleis permixta remittet.

CASTANEA. Nativo patiere ſatam conſiſtere fundo
Caſtaneam; lutea vel cum tellure revelles;
Ut ſcrobibus demiſſa, novum vix ſentiat agrum.

AMYGDALA. Triticeas inter ſtet mollis Amygdala meſſes,
Durus ubi gelidis Boreas non inſonet alis,
Exuratque novo properat quos Vere quotannis
Edere præcipites arbos improvida flores.

(Ubi de arborũ floribus.) Omnis enim verno ſpes eſt in flore: tenellum
Hinc ſolers Natura fovet, ramoque comanti
Et duro calicis munimine veſtit; hiantem

Dein

Dein modicè jubet explicitas evolvere frondes,
Nec totos aperire ſinus, ſed diſcere ſenſim
Frigora nocte pati, calidoque aſſueſcere Soli.
Interea fructum gremio flos mollis olenti
Educat, & tenero ventos defendit alumno:
Sunt etenim flores velut incunabula pomi,
Præſidio cui ſunt decorique; nec antè relictis
Officii memores ramis labuntur; apertas
Quàm cùm ferre poteſt fructus jam firmior auras.
Frons remanet, tremulis Soles ut temperet umbris.

Quanvis & Ceraſos & amicam Vinea Ficum — *CERA-SUS.*
Accipiat ſociaſque Pyros & perſica Mala;
Frugiferis tamen arboribus propiora relinques
Arva domo, gregis & populi ſecura rapacis.

Intactis Pyrus aſſurgit liberrima ramis, — *PYRUS.*
Frondentes vel tonſa comas, brevitate coactâ
Deprimitur; vel per cratem prætenſa, ſequaci
Fronde tegit murum, fruiturque calore reflexi
Solis, & artifici decorat pomaria textu.

Seu protenſa Pyrus pictiſque ſimillima flabris — *Pyri putatio.*
Hæreat ad muros; vincli ſeu libera tendens
Brachia, crateri ſimilem pandatur in orbem;
Imperia in ramos memor exercere fluentes
Ruſticus, attonſis norit quæ gratia ramis;
Quæ potior facies primo formanda ſub ævo:
Inſtar enim pueri, pravè cùm fingitur arbos
Junior, in pejus creſcit: quod primula peccat
Diſciplina, ſequens vix unquam corrigit ætas.

Cùm tumet & tunicas nova rumpit gemma, Putator — *Arborũ putatio.*
Nil dubitat fructu quis ſubmittendus habendo
Ramus erit: nodo protuberat ille frequenti,
Alteriuſque recèns cæſi de vertice rami
Solvitur in flores. Brevior craſſuſque, ferendo
Par oneri, ſucco plures alet ubere fœtus.

Si Pyrus irriguis ſe pumila jactat in hortis :
Provideant patulo creſcens ne ramus ab orbe
Exeat , aut muris arbor decedat , Acernas
Juſſa ſequi crates : inprimis fertile lignum
Et qui ſpem faciunt oculi ſerventur ; inerſque
Et ſterilis ferro ramus tollatur adunco.
Talis erit duro nitidus qui ſtipite ſurſum
Proſilit , & media caput altiùs arbore tollit :
Ne tamen hanc penitus , radix cui prodiga ſuccos
Pleniùs immittit , preſſâ reſcindite falce ;
Sed mediam tantùm ferro ſuccidite virgam :
Nam ſterili pro fronde , caput deciſa , feraces
Progenerat ramos nodis ex omnibus ortos.
Non placet attonſa tranſverſus in arbore ramus ,
Ni parat in fructum gravidis erumpere gemmis :
Fructus enim decet inprimis : ſed copia florum
Largior Agricolam ne ſpe deludat inani.
Majores , moritura brevì cùm deficit , arbor
Jactat opes. Tu dona bonus ſuprema recuſans ,
Excuties digito flores : quâ fortè remotâ
Luxurie , ſucco revireſcet paupere truncus.
Ad priſcum ſic ſæpe decus laudemque paternam
Emergit faſtu domus inclinata reciſo.
Infirmis falcem arboribus ſuppone nivoſum
Ante gelu ; ſtrictimque puta , nec plura relinque
Germina , quàm trunci vires patiuntur & ætas.
Vere novo validas contrà ſuccoque nitentes
(Ne dubio properent flores educere Cælo)
Attondere juvat , ferroque infringere vires.
Icariæ cùm Sol rapidos ad Virginis aſtrum
Flectet Equos , rurſus folii tollenda virentis
Luxuries ; ſuccos ut fructibus ardor alendis
Servet , & in ſterilem non fundat prodiga frondem.
Altera contineat , manus amputet altera ramos ,

Et pronam ad Solem media internodia plagam
Obliquâ falce accipiant : nam plana cicatrix
Rore tumens, gemmas inimico interficit imbre.
Incauto tua carnifices pomaria ferro
Ne lacerent ſervi, falcem tractare peritâ
Diſces ipſe manu; reſpondebitque labori
Non ingrata tuo pomis felicibus arbor.
Namque meam propter Bliteram, quà mitior ire
Incipit, & dudum juga per ſalebroſa volutus
Præcipites & adhuc pavidas horrore locorum
(1.) Obris aquis remoratus, agris horatur amœnis
Felicique frui Cælo; vir ruris amator
Si quis erat, memini quas impendebat alendis
Arboribus curas; quàm fauſto fœdere ramos
Insereret, Citros ut falce putaret, odoras
Me puero gaudente comas attollere terrâ,
Et plenis portare domum juveniliter ulnis.
Necdum animo effluxit quàm dulcia poma viciſſim
Arva darent, Oleis ut grandibus æmula Citrus
Surgeret, & ramis pendentia mala decoris
Candidulos inter fulgerent aurea flores.
Ille meus pater eſt, quem mors ſæviſſima dudum
Abſtulit : at noſtrum non illa extinxit amorem;
Et patrios revocans mores exemplaque, Nato
Quæ præſtat meminiſſe magis quàm dicere verſu;
Non alio ne Regum equidem de ſanguine malim
Eſſe ſatum, tanti eſt pietas atque aurea vitæ
Simplicitas, & nuda fides, lucroque pudendo
Pectus inacceſſum, & rigidi mens conſcia recti.
Ut juvat inprimis ſub pectore volvere tritas
Uſque fores inopum turmis! ita Pagus amicam
Pauperibus mentem norat, moreſque benignos

(Ubi de Authoris patre.)

(1.) *Orbis*, Orb. *Fluvius ab altis montibus defluens Bliteramque urbem alluens.*

Et promptas ad dona manus ; ut quiſquis egentes
Viderat , aut ſerâ peregrinos nocte petentes
Hoſpitium , fundata velut ſibi tecta , paternas
Monſtraret miſeris peregrè vel euntibus ædes.

Salve care parens , & qui prodeſſe docebas
Moribus agrorum ſtudium ; quòd ruris amore
Nunc uno tenear , procùl ambitione remotâ ,
Gaude ſi quid adhuc mea curas : plenus amicis
Quæ dederas monitis , fructus non quæro laborum
Quàm mihi quos ruris fert inculpata voluptas.
Si qua fuit quondam te vivo fama , placebat
Illa mihi , quia te pronis recreabat in annis :
Jam me nulla movet quæ te non gloria tangit ;
Natalis nec jam capior dulcedine Cæli ;
Teque abſente placet tantùm mihi Patria , nomen
Quòd colit illa tuum , quòd me veniente , tuarum
Non oblita mihi laudum præconia Pagus
Uſque canit , mecumque dolet , mecumque parentem
Luget & ille ſuum , defenſoremque requirit.



PRÆDII RUSTICI

LIBER VI.

ARBORUM MORBI;

Eorumque cauſæ & remedia.

NUNC age plantarum morbos artemque medendi
Exequar, humana repetens ab imagine cauſas
Atque mali communis opem: mortalibus ægris
Arboribuſque pares fert vita ſimillima caſus.
Non diſpar utriſque habitus: radicibus arbor
Inſiſtit veluti pedibus; pro corpore truncus
Eminet, & longos fundit quaſi brachia ramos,
Arboreas terræ ſuccus pro ſanguine venas
Irrigat; & frondes, vitæ fons, manat in omnes.
Spemque metumque facit plantarum infantia, primo
Luxurians & flore nitens juveni liter ævo,
Sed vix ſtare potens crebriſque agitata procellis.
Lactentem quanquam teneris informet ab annis,
Ætati tamen indulget; ramoſque Colonus
Non reprimit, donec rigidos imponere mores

ARBORIS HOMINISQUE SIMILES SUNT.

Status.

Vita.

Variæ ætates.

Et luxum auſterâ compeſcere falce monebunt
Impetus, & trunci vigor inconſultus adulti.
Arctior effrænos tum diſciplina coërcet,
Imperiumque pati ramos jubet, atque figuram
Induere, & curvum vel in orbem creſcere tonſis
Frondibus, aut viridem muris prætendere ſcenam.
Indocilis poſito demum fervore juventæ,
Subſequitur ſolers & idonea fructibus ætas:
Arboribus ſua nec deeſt importuna ſenectus,
Fronde caput nudans, & arans in cortice rugas.

Eadem morborum ſigna. Pallentum notat ora virûm, macilentaque membra
Longior attenuat morbus: ſic arida truncos
Occupat invalidos macies; aliumque colorem
Ægra trahit ramis pallens languentibus arbor.

Eædem cauſæ. Humanos eadem morborum cauſa per artus
Sævit & arboreas frondes, quas paupere ſucco
Vix alit, aut nimiâ tellus ingurgitat eſcâ.
Ac veluti calet indomitæ cùm febris ab æſtu,
Nec capitur venis, mortalia corpora ſanguis
Afficit; & laxis morbi graſſantur habenis:
Haud aliter nimio revolubilis impete ſuccus
Arboreas rumpit venas, reſidenſque latenti
Tabe putrem vitiat truncum: caput arboris aret,
Brachia deficiunt, coma defluit; almaque radix
Præcluſis alimenta viis jam nulla miniſtrat.

IDEM SUCCI CIRCUITUS QUI SANGUINIS. Succus enim tenues ſubit abs radice meatus,
Pervaditque comas; & vertice lapſus ab alto
Circuit, ac latè plantam defertur in omnem;
Sanguis ut humanos circumvagus irrigat artus.

Hujus circuitionis argumenta. Nonne vides ſtricto compreſſis vimine ramis
Deſuper ut refluo cortex humore tumeſcit;
Ut pluvius frondes ſi tantùm aſperſerit imber,
Continuò vites arbos animoſa reſumit;
Emoriturque trahens ramo quod ſæpius uni

Morſibus inſpirant animalia dira venenum.
Si facili placet exemplo cognoſcere ſucci
Circuitum reducis, teneram cum ſtirpibus herbam
Velle ſolo: merſæ ſtirpis pars altera vitam
Ducat aquis, extra cyathum pars pendeat: omnes
Unus alet fatis paribus revolubilis humor.
Præterea ſi fortè (ſolum mordentibus undis)
Radices arbor nudas oſtenderit; unam
Intercide; novâ ſtirpem mirabere cæſam
Fronde virere; licèt non altera pabula tellus
Sufficiat, quàm quæ ramis tranſmittit ab altis.
Succoſas ubi cœpit Hyems conſtringere venas,
Deficiente cibo labuntur ab arbore frondes,
Hybernoque ſilent torpentes frigore rami:
Lignea dum tepidum Ver ſpiramenta relaxet;
Atque viâ plantas ſe liberiore per omnes
Largior effundat ſuccus, quem terra ſolutis
Collegit nivibus plantiſque impendit alendis.
Hinc nova vernantis facies telluris: in herbam
Proſilit alma Ceres: viget arbor; & ubere victu
Brumalem ſolata famem, ſe fronde virenti
Induit, & ramis creſcens pubeſcit opacis.
Quâ ratione ſubit radicem ſuccus, & altas
Invadit frondes; ac rurſus ab arbore ſumma
Ad ſtirpem refluit, (Naturæ arcana) docebo.
Qui Cælum tenet omne, ſoli quoque permeat æther
Viſcera denſa; ſuo fluidos premit ille liquores
Pondere; quos ſurſum, ſi quæ vacat aëre craſſo
Semita, per tenues cogit conſurgere venas:
Ut digitos inter multum prorumpit hiantes,
Maturas pedibus calcat cùm Vinitor uvas;
Nec ſecus ac pannum conſurgens unda bibacem
Imbuit, extremo quanvis hunc margine tantùm
Contigerit; montes eadem quo more per altos

Ejuſdem circuitionis phyſica cauſa.

Nititur, & vivo juga ſaxea fonte recludit;
Aut velut in tubulos, circùm ſtagnantibus undis,
Aſcendit liquor; aëreo ſic pondere venas
Succus in arboreas protruditur: intima terræ
Qui calor occultis meat intra viſcera flammis;
Spiramenta ſoli laxat, ſuccoſque tumentes
(Quà data porta) jubet ligni ſuccedere venis.

Non tamen hæc alimenta caput ſublime virentis
Ilicis attingent; almo niſi mixta liquori
Latiùs humorem fermenta calentia pellant;
Venaque cluſilibus valvis munita regreſſum
Impediat; ramos ut terræ ſuccus in altos
Proſiliens alat & truncum frondeſque; novumque
Eluctatus iter, ſtirpem referatur ad imam:
Auctior unde vias iterum decurrat eaſdem;
Atque (perenne ſoli munus) nova pabula plantis
Afferat, abſumpti reparans diſpendia ſucci.

Ille autem modus ac vitæ divina ſupellex
Humanos oculo produnt ſe teſte per artus,
Arboreis qualem viſum eſt affingere venis:
Namque ſui ſemper Natura ſimillima, textu
Simpliciore quidem ſed non diverſa ſecuto,
Plantarum vitam pecudumque virûmque tuetur.

AQUA. Quantû conferat ad nutrimentum plantarum.

Quis medicas adhibere manus jam neſciat ægris
Arboribus: neque enim languent, ſi commoda tellus
Sufficiat ſuccum, cui ſit via libera ramis;
Nec ſubeunt alimenta, niſi fœcundior almam
Diluat imber humum: ſiccis hinc frondibus aret
Quæ nullos bibit orta recèns arbuſcula rivos:
Grandis enim ſibi quærit aquas tellure latentes,
Altiùs immiſſis agro radicibus arbor.

Hinc procul extremis Americæ in finibus, oram
Æquoream propter, medius Sol imminet urbi
Quam dixere Limam; Phœbo propiore calentes

Temperat aura dies, quæ frigida manè propinquo
Spirat ab Oceano : cùm Veſpere laſſa quievit,
Succedit variatque vices adverſa, nivoſos
Quæ montes gelidoſque madens præterfluit amnes.

Limæ, In America arbores rigantis arbitrio fructus pariunt.

Perpetuo cives ibi Vere fruuntur ; & annus
Labitur uſquè ſuî ſimilis : ſilet arbor, amico
Fonte carens, flores eadem fructuſque rigantis
Agricolæ parit arbitrio ; totumque per annum
Nullus ab innubi licèt æthere decidat imber,
Non arent tamen arva ſiti : ſed hiantibus hauſtam
Ut puteis lympham multo ſudore per hortos
Spargimus ; in rivos ita per ſata pinguia ducunt
Flumen ; & arboreos vel aquarum copia fœtus
Quo placet agricolis maturat menſe ; vel anni
Tempus ad extremum lymphæ penuria differt.

Irriguis ergo Pyrus altera floret in hortis,
Altera curvatur fructu ; maturaque nullo
Tempore deficiunt ſitientes poma Colonos ;
Dumque ſolum movet, aut ſarmenta fluentia cædit
Vinitor, hinc dulces in eiſdem ſepibus uvas
Colligit, hinc vitis captat florentis odorem.

Felices nimiùm populi, queis prodiga tellus
Fundit opes ad vota ſuas ; queis contigit Æſtas
Æmula Veris, Hyems ſine frigore, nubibus aër
Uſquè carens, nulloque ſolum fœcundius imbre.

Fertilibus gens dives agris aurique metallo,
Ditior ingeniis hominum eſt animique benignâ
Indole ; ſi cuncti rectè diſcuntur ab (1) uno
Linguarum morumque ſciens, interprete nullo,
Europæ varias gentes qui nuper obibat,
Hoſpes ubique novus, nulla peregrinus in urbe.

(1) *Don Joſeph Pardo de Figueroa, nobiliſſimus Limæ civis, & Prætoriarum cohortum in Mexico Dux Præfectuſque, vir omni doctrinâ ornatiſſimus.*

Humor Arborũ abundans exudat.

Largior irriguo qui ſuccus ab imbre redundat;
Officit arboribus; veniſque effuſus, inerti
Corrumpit carie truncos, aut gibbere fœdat.

Hinc Myrrha. Thus.

Plenior ipſa ſibi nonnunquam ſubvenit arbor;
Exudans nocuos dirupto cortice ſuccos:
Vere magis; largum quia Vere tepentibus agris
Evocat humorem radix: hinc Myrrha, ſacriſque
Thura Deûm quæſita focis, ſudataque ligno

Opobalſama.

Felices Arabum ditant Opobalſama ſylvas.

Maſtice.

Hinc Chia Lentiſci lacrymas habet inſula; ſaltus
Hinc Calabri rorem ſtillant, quem frigidus aër

Manna Calabrica.

Congelat: è Cælo lapſum plebs credula jactat;
Æthereamque vocat *Mannam*, memor illius eſcæ
Quâ Deus errantem loca per deſerta tot annos
Abramidum pavit cæleſti munere gentem.

Pix.

Uberior venis ut Pix decurrat apertis,
Ruſticus heu! ferro Pinum denudat: hyemſque
Frigida jam nullo defenſum cortice ſuccum
Conſolidat; claudenſque vias, queis ſpiritus ipſis
Ducitur arboribus, cum reſpiramine vitam

(Ubi reſpiratione plantarum.)

Eripit: arbor enim (res non ignota) Ferarum
Inſtar & Alituum, Piſciſque latentis in imo
Gurgite, vitales & reddit & accipit auras.

Ars eliciendi ſuccos ab arboribus.

Tutius eſt Auſtrale latus recludere ferro,
Atque terebratis humorem educere truncis.
Nam velut humanum, detracto ſanguine, corpus
Sæpe valet; nocuum ſic juſto lætior arbos
Exonerat ſuccum, ſterili nec jam amplius umbrâ
Luxuriat; fructu ſed curvos ubere ramos
Deprimit, & dulci commendat poma ſapore.

Quare age ne dubita fabrilem adhibere cavandis
Arboribus terebram: per iter declive canalem
Inſertum ut ſubeat liquor; obliquabis adactum
Altiùs in truncos vulnus; quâ parte tepentes

Uberiùs ſtillans arbor ſpectabit ad Auſtros.
Inde fluet medicas humor quæſitus ad artes;
Ulmeus expugnat febres, Sambuceus albo
Languorem Hydropis de corpore pellit aquoſum,
Fraxineus laterum mollit capitiſque dolorem,
Atque oculos hebetes acuit, ſurdiſque medetur
Auribus, & membris abigit lethale venenum.
Eſt quoque Fraxineo ſua vis & gratia ligno;
Sive fluens ſanguis citiorve moranda ſit alvus.
Livida Fraxineæ curant quoque vulnera frondes,
Et prohibent mordax ne membra per integra Cancer
Latiùs emanet; nec in intima viſcera gliſcat
Mortifero virus fundit quod Vipera dente.
Anguibus uſque adeo eſt arbos inimica, ſub umbra
Illius ut metuant convolvere corpus; & orbe
In medio poſitus ſerpens, ac frondibus illinc
Clauſus Fraxineis, hinc prunâ ardente, per ignem
Semicremo fugiens celeres det corpore tortus.
Sanguineum Quercus ſucco ſtringente fluorem
Compeſcit: ſtomachum Tiliæ ſolantur onuſtum,
Marcentemque cibis: Prunus ſylvatica pellem
Squamoſoſque gravi prurigine liberat artus.
Nec Betulla fluet membris minùs utilis ægris;
Seu ſtomacho diros calor erupturus in ignes
Incubat; infeſtus renes ſeu Calculus urit.
Humidulos etiam ſtudioſior Anglia flores
Pungit acu, & ſuccum jubet exudare ſalubrem,
Mæonios qualem non exprimit ignis ad uſus:
Jamque Papavereo ſtillant quæ vertice guttæ
Ante alias promptum ſpargunt per membra ſoporem.
Humor ab arboribus (quoties nociturus abundat)
Detrahitur cuneis pingui ſub cortice fixis:
Sed dubiâ veluti dape cautiùs abſtinet æger,
Noxia quàm revomit medicas alimenta per artes;

Arborei ſucci uſus in Medicina.

Sic nimiam, cæſis aliquot radicibus, eſcam
Subtrahere, & plantis velut os occludere præſtat;
Quàm nocuos ruptis ſuccos extrudere venis.

Reſecandæ radiculæ Arboris ſuccoſioris.

Arbor ubì virides pandens lætiſſima ramos,
Pauperiem fructûs miſerâ compenſat inanis
Ubertate comæ, ſtirpis reſcindere fibras
Proderit, & vegetas trunco ſubducere vires.
Ut cùm luxus iners & dira pecunia ſanctos
Fregerunt mores; vitamque licentiùs actam
Ad frugem revocare Deus dignatur; opimas
Queis alitur vitium, qua paſſim denſa malorum
Pullulat abs radíce ſeges, ſuccidere primùm
Inſtat opes, animum dein ad meliora referre,
Non illaudatos tum demum extundere fructus.

ARBOR LANGUENS RECREATUR.

Nunc inopi contrà victu cùm pallida languet
Arbor, & exuccas nudato vertice frondes
Exuit ante diem; morbi radicibus imis
Semen ineſt, craſſoque tumet ſtirps obſita limo,
Qui venas replet & ſucci commercia tollit:

Stercore columbino.

Sparge columbinum ſtercus, quod cæca relaxans
Spiramenta, vias aperit; ſuccumque redonans
Arboribus, frondis revocat viridantis honorem.

Vino.

Sed nulla eſt hauſto potior medicina Lyæo;
Arbor enim lymphæ potrix, moribunda reſurgit,
Vitigeno mutet ſi flumina cruda liquore.
Ante alias, ubi languet iners & pallida, vinum
Si biberit Platanus, vires animoſa reſumit,
Epotumque merum viridante remunerat umbrâ.

Amurcâ

Optima plantarum medicina.

Parcus opum pretioſa nimis qui vina fovendis
Arboribus negat orta; ſuo quam pondere preſſus
Dives olivarum cumulus deſudat, amurcam
Stirpibus affundet; vel quo præſentius ægris
Auxilium nequeat dare plantis, rure domique
Sordida quæque legi jubeat ſale plena feraci,

Qualis

Qualia ſunt ſoleæ veteres, & quidquid Equorum
Curator reſecat ſummis ex unguibus, oſſa
Trita minutatim, plumas ſpoliumque ferarum,
Atque columbinum ſtercus, cinereſque marini
Roris; & in grandes hæc ingerat omnia cupas;
Ac demerſa diu pluviali maceret undâ.
Ægra ſalutifero potu recreabitur arbor;
Altiùs aſſurgent herbæ; meliuſque nitebunt
Purpurei flores: caput in deforme tumentes
Vix Olitor Cepas agnoſcet, & Allia, quæque
Cætera nitratis continget oluſcula lymphis.
In nitro vis omnis humi eſt; nullaque gravatur
Fertilitate, ſales ſi quos abſumit, amicâ
Reſtituas ope: quæ ruris mihi ſumma colendi eſt.

De emendando pomorū colore & ſapore.

Interdum variis Natura coloribus ultro
Ludit in arboribus, mixtum candore ruborem
Fructibus appingens: faciles imitabere luſus;
Multicolor verno ſi tempore ſuccus aquarum
Irriguos tingat latices quos ebibet arbor:
Pomaque dulciculum referent mellita ſaporem;
Indideris ſi mella cavo fragrantia trunco:
Hunc adeo in geminas aude diffindere partes:
Quæ mediâ penitus latet arbore, tolle medullam;
Atque ſalutares ſuccos & dulcia ſupplens
Mella, fimo tinctum bubulo circumline vulnus;
Mollibus incingens vinclis tegumenta; recentem
Ne plagam Boreas vel Sol æſtivus acerbent.
Quos ultro fert nata recèns arbuſcula ludos
Non patitur veteris trunci moroſa ſenectus.

Ludunt in Arboribus Agricolæ.

Ludit & in Tiliis ars ingenioſa colentum:
Arbor enim primo docilem ſe præſtat in ævo;
Et teſtudineum teneram ſi flectis in orbem,
Curvatumque ſolo caput obruis; ire deorſum,
Atque vicem ſtirpis fungi mirabere ramos:

Hæc nova cùm radix genitalibus hæſerit arvis,
Eruitur vetus; inverſo conſiſtere trunco
Juſſa, ſuos effert arbor pro vertice nudos
In ſublime pedes: rami tellure ſub ima
Mutatis ſerpunt vicibus, ſtirpique rependunt
Aëriæ primis alimenta recepta ſub annis.
Stirps autem virides nova per miracula frondes
Parturit, & flores, & quam corroſerat antè
Vermis edax, jam nunc Apis ambit murmure blando.

Ludit in humanis fortuna.

Quæ ſummos Fortuna levis tranſmutat honores,
Rebus in humanis ita ſæpe jocatur; humique
Proſternit capita alta virûm; ſubitiſque viciſſim
Divitiis humili natos de plebe ſupremum
Evehit ad decus: elato ſed vertice quanquam
Sidera contingant, & obumbrent omnia luxu;
Quæ primæ remanent ſtirpis veſtigia, linguas
Mordaces acuunt; & non ſua comicus actor
Ornamenta gerens riſus movet; attamen umbram
Illius ac tegmen captant; & plebis opertum
Exuviis, cultu reverentur ſupplice truncum.

VARII CASUS QUIBUS AFFLIGUNTUR ARBORES.

Quid varios, quibus eſt arbos obnoxia, caſus
Enumerem: triſti nunc grandine vapulat, acri
Nunc perit uſta gelu, villo nunc tabet edaci.

Grando.

Durior abruptis lapidoſæ grandinis ictus
Diſſipat humorem venis; & hiantibus arbor
Livida vulneribus, fœdo mox tubere paſſim
Prominet horridior, neque fœtus educat ullos;
Saucia frondator niſi tollat ligna, noviſque
Nudatum jubeat truncum revireſcere ramis.
Grando minùs damnoſa cadit, cùm fortè recenti
Imbre madens hebetem cortex jam flexilis ictum
Emollit: tanti eſt violento poſſe furori
Cedere, nec ſemper rigidas opponere vires.

Gelu,

Arboribus contrà clades ſuprema paratur;

Cùm pluvios gelidi vis frigoris excipit imbres.
Arboreas aqua vincta gelu ſub cortice fibras
Diſſecat; innumeris quo more fatiſcere rimis
Cogit, & in varias ſolvi vas fictile partes.
Tanta poteſt vis eſſe Hyemis glacialis; in imas
Arboris ut penetret venas, almumque liquorem
Congelet: hinc noſtros & Nux & Oliva per agros
(1) Interiit; Brumæque truci vix reſtitit Ilex.
Si placidum ſervarit Hyems moderata tenorem,
Læſa cadit nemorum coma: ſed radicibus imis
Defendens humus alma gelu, Borealibus ultro
Frondis inane decus ventis permittit & umbras;
Quas mox reſtituet Zephiris Ver molle reductis.

Nimius calor.

Durior æſtivo flagrat cùm terra calore,
Arboribus juſtum non ſufficit arida victum:
Occupat hinc ramos macies infeſta: caducis
Inde comis, ſylvas jures ſpoliaſſe Decembrem.
Felices populi, medio quibus orbe perennes
Sol cum nocte dies æquat; ſemperque virentum
Frons nemorum toto manet inviolabilis anno:
Ille niſi decor aſſiduo vileſcat ab uſu;
Et placeat magis alternâ vice frondibus arbor
Nunc ſpoliata ſuis, iterum nunc Vere renatis,
Læta comis, cùm tempus eget frigentibus umbris.

Caries.

Ægra vetuſtatis cariem ſi traxerit arbor;
Ulcus hians ventis aperi Phœboque medenti,
Largaque diducat truncum fiſſura patentem;
Ut penetrent intus Sol & perflabilis aër,
Qui putre conſolident corpus; ne peſtis in altos
Effundat totâ ſe latiùs arbore ramos.

Fortuiti caſus quos habent juniores arbores.

In teneris etiam plantis primordia vitæ
Difficiles tentant morbi; ſeu ſiccior æſtas
Incubuit, vel frigus iners, aut largior imber.

(1) *Hyeme ſæviſſimâ anni* 1709.

Sæpe viatoris quaſſat manus improba truncum
Imbellem ; ſtirpes foſſor vel Talpa fatigat :
Cinctaque ni tortis arbuſcula ſentibus horret ;
Capra venenato dentes in cortice figit.
Præmatura novis , caſu damnoſior omni ,
Fertilitas nocet ipſa Pyris : quot hiare tenello
Aſpicis in ramo flores , tot ſigna ſalutis
Afflictæ , tot certa vides præſagia mortis.
Pallet ubì viridi frons cortice ; quæritur imâ
Sub tellure mali labes ; nudataque radix
Purgatur : ſed cùm cœpit nigreſcere cortex
Aridus , invalidæ vix auxiliabere plantæ.
INFES- Mucor (ſi qua fides acuenti lumina vitro)
TAN-TUR Fungorum genus eſt ; fixum quod in arbore venas
ARBO- Occupat , & ramos inimicâ tabe pereſos
RES Interimit : ſuccum villo quoque Muſcus edaci
Mucore. Subducet ; ferro niſi tollitur horrida labes ,
Muſco. Cùm maduit longo cortex purgabilis imbre.
Tortilis arboreum velut arcto compede truncum
Hederâ. Implicat & frondes Hedera ambitioſa per altas
Indecores pomis audet miſcere Corymbos.
Hanc, ubi rugoſo primùm ſe cortice fundit ,
Tolle , priùs morſu quàm ſe circumliget unco
Arboribus ſummis ; alienoque ubere pinguis
Emaciet , ſtrictoſque premens necet improba ramos.
Erucis. Erucas quæ fila vomunt ; vincloque tenaci
Involvunt plexas , ſobolis cunabula , frondes ;
Et lethale comis aſpergunt virus adeſis ,
Exime poſt imbrem : labor haud operoſus : in unam
Tum coëunt pigro torpentes frigore molem.
Formicis. Formicas abiges , vini ſi fæce , vel acri
Arboris obſeſſæ truncum contingis aceto.
Vermibus. Sæpe vel innatus vel ad interiora medullæ
Vermis iners molitus iter , furit arbore totâ ;

Brachia ni ferro cædas infeſta, priuſquam
Triſtia vicinos lædant contagia ramos.
Dum volucrum genus omne lares ſuſpendit opaca
Fronde ſuper; Picus roſtro prædura laceſſens
Robora, ſecuros mediâ cavat arbore nidos.
Inſidias meditare, brevem cùm Picus in orbem
Finget opus; reſoniſque dolens gemet ictibus Ilex.
Fur veteri quondam ſylvâ cùm fortè lateret,
Contemplatur avem; ſolidoque cubilia ligno
Foſſa videns, vir ad omne nefas celer, altiùs acto
Obſtruit anguſtos aditus & limina ferro;
Suſpenſam foribus gaudens lugere volucrem,
Et ſobolis triſtes audire & reddere queſtus.
O natura potens & rerum provida! Picus
Per nemus omne volans operoſam viribus herbam
Attulit, & nidos ferro reſeravit abacto.
Obſtupet atque ſuæ latro non immemor artis,
Gramine (quo pullos genitrix à morte reduxit)
Utitur ut portis clavos ad furta refixos
Excutiat, tacitoque ſeras à poſte revellat.
Arboribus nova ſæpe tuis innaſcitur arbor,
Naturæ non artis opus; ſeu fertile ſemen
Fronde ſedens Volucris laxâ profuderit alvo;
Molliculus trunco patitur quod in hoſpite cortex
Radices agere, atque alieno vivere ſucco.
Sic croceos paſſim muris erumpere flores
Proceraque humiles in turre vireſcere plantas
Aſpicimus, ſemen genitale ferentibus auris.
Arboreæ vitio venæ ſeu ductilis humor
Degeneres ramos & prodigiale virentes
Parturit, utiliter peccans: hinc namque Colonus
Edidicit truncis peregrinum includere germen.
Ipſa ſuis Viſcum ramis ita ſeminat Ilex;
Diſſimili qui fronde viret. Nil Gallia majus

Picus in arborũ trunco nidum cavat.

Arbor Arbori innaſcitur.

VISCUS.

Ubi de veteris Galliæ ſuperſtitione.

Nil habuit quondam Quercu ſacratius illâ,
Divinum partu tulerat quæ divite Viſcum:
Et quanquam nemore ex alto qui fauſta tuliſſent
Ligna domum, nec dira ſibi gregibuſque timerent
Toxica, nec gravidis inimicos meſſibus Auſtros;
Germina ſacra tamen ritu demeſſa paterno
Per Druidas templis in publica jura locabant.
Ergo novo ſurgente die, creſcentia poſtquam
Cornua jam ſexto Phœbe reparaverat ortu;
Nobilitas cum plebe, viri cum matribus ibant
Quò ſua per Lucos, per & invia ſaxa vocabat
Religio; ſacrum reſecabat ab arbore ramum
Aurea falx: neque enim ferro violare licebat.
Candenti præcinctus erat quâ veſte Sacerdos
Excipiens Viſcum, populo plaudente, ſub ipſa
Grandia Taurorum mactabat corpora Quercu,
Auſus & humano cultros fœdare cruore.

Et de Galliæ Chriſtianæ pietate.

Parce Deus! neque dira luant commiſſa parentum
Secula ſervaſti quos in meliora Nepotes.
Numina vana colens, legumque oblita tuarum
Gallia ſitantis potuit ſuccumbere culpis;
Non alia eſt ritus quæ gens exuta profanos,
Servierit cælo meliùs: non ſceptra ſuoſque
Fortiùs eſt tutata lares, quàm Numinis aras.

Noſtris Pontificum romana potentia donis
Regna ſuæ ditionis habens, dat jura per urbes
Auſonidûm, ſolâ quas relligione tenebat:
Divini cui cura gregis commiſſa Sacerdos
Maximus, imperii ſummos ut haberet honores;
Paſtorale pedum ſceptro mutavimus aureo.

Quid loquar emenſum pelagus, vetereſque triumphos;
Gallia juratis olim cùm tota ſub armis
Ibat; & auguſtæ Regum quoque prodiga vitæ,
Victrices Solimæâ cruces per regna ferebat.

Gallorum non ille animis exceſſit avitæ
Relligionis amor: Chriſto trans æquora Magnus
Militat extremas Lodoix Orientis ad oras;
Vaſtaque ſulcarunt jam ſæpius æquora naves,
Militibus fœtæ, Jeſu qui ſigna ſecuti,
Emenſo terræ revolubilis orbe (ſalutis
Pignora ſacra) Cruces, non gallica Lilia portent;
Templa Deo ſtatuant, non propugnacula Regi;
Et victos Chriſto populos cæleſtibus ornent
Divitiis; nec opes referant, quæ cætera cogunt
Navigia extremos Sinarum accedere fines.

De Ludovico magno religionis Chriſtianæ propagatore.

Muneris & Lodoice tui eſt, quòd nulla ſuperſunt
Hæreſeos monumenta; novos quòd Gallia ritus
Dedidicit: noſtras quòd rurſus Erinnis in oras
Auſa ſubire, nigro caput icta recondidit Orco.
Poſt longam Regum ſeriem, poſt ſecula patres
Crediderant cultus aboleri poſſe prophanos;
Et laudum ſibi viſa ſeges ſatis ampla, vel unam
Reſtituiſſe Deo & priſcis altaribus urbem.
Juſſit, & imperio Lodoici tota nefandis
Templa ſacris addicta ruunt; totidemque diebus
Exæquantur humi, quot deſudaverat annos
Hæreſis uſa dolis, ferroque armata rebelli;
Ut populos olim patriis averteret aris.

Et Hæreſis extinctore.

Una fides animis, cultus concordibus idem
Inſidet; & veterum tibi Gallia nulla timorum
Cauſa ſubeſt: quondam exitium quæ pene ſupremum
Intulit armatis in mutua funera Gallis,
Hæreſis emoriens ſupremos ecce furores
Efflat; & ex altis fumantia tecta Gebennis,
Templaque ſacrilegis data flammis, corpora diris
Cæſa modis, uno plures in funere mortes,
Barbaraque & ſævis olim vix nota Tyrannis
Supplicia oſtentans, conſolaturque dolorem

Ipſa ſuum; jamque oblitis facit impia Gallis
Utile, ſed veterum documentum triſte dolorum.
  Perge? novus labor ecce manet te maxime Regum;
Da populis ſtabilem fortunam: Gallia ſolam
Se timet, & ſciſſos ſtudia in contraria cives.
Effera, quæ tantùm valuit ſuadere malorum,
Hæreſis una poteſt veteres renovare tumultus:
Illa voluptatis quondam ſpirabat apertas
Blandior illecebras; mutato nomine larvam
Induit ecce novam, vultus mentita ſeniles,
Auſteroſque foris habitus: non invia telis
Eſt tamen illa tuis: veteres quanquam advocet artes;
Et ſe mira recens Proteus transformet in ora;
Sævaque nunc Tigris fiat, vel amica luto Sus;
Nunc vario ſeſe tortu plicet; atque ſeveris
Sæpius è manibus tibi lubricus excidat Anguis.



PRÆDII RUSTICI LIBER VII.

* *

ANNI RUSTICI PARS PRIMA.

Ver & Æſtas.

ANNUUS agricolis ordo breviorque laborum
Summa mihi tradenda, priùs quàm ſingula verſu
Perſequar: in tenues ruris deſcendere curas
Si piget, hanc mecum ſaltem cognoſcite partem,
Qui colitis pingues operis venalibus agros.
Id ſolitum vobis nunc incuſare querelis
Sidera, nunc ſterilem falſis inceſſere terram
Opprobriis; quòd ceſſet iners, laſſataque raras
Jam pariat ſegetes: atqui nec ſidera Cæli
Mutavere vices; neque poſt tot ſecula mater
Alma virûm ſenio tellus effœta quievit:
Sed cultu viget, æternam ſortita juventam;
Et curis hominum jugique exercita ferro,

Primævas reparat vires ; nec inertior annis
Dedidicit veterem ; noſtro ſed crimine , laudem.

VITÆ RUSTICÆ COMMENDATIO.

Quæ manibus ſulcare ſuis gens priſca ſolebat ,
Nos avidi fructûs , imprudenteſque laborum ,
Horrida furaci permittimus arva colono ;
Nec pudor eſt Dominum ſervos audire docentes ,
Uſque novos tentare modos , artemque colendi
Non niſi per grandes peccando diſcere ſumptus.
Ingenium miſerè torquemus , ut æquoris æſtum
Aſtrorumque vias ſtudio ſpeculemur inani.
Qua ſine deficerent viduæ cum civibus urbes ,
Frugiferæ cultura jacet telluris ; & unum
Scire pudet , tacito ſequimur quod ruris amore ;
Et quo regna ſolent armis opibuſque vigere.
Alter enim culto cenſus nec certior agro ,
Militiæ potior neque diſciplina : perito
Miles ab Agricola fit ſtrenuus atque laboris
Et famis ac brumæ patiens : agreſtibus olim
Roma viris orbem domuit : duo fulmina belli
Scipiadæ coluere ſolum , glebaſque ruebant
Quâ verſæ cecidere manu Carthaginis arces.
Non alia eſt ſceleris magis expers vita , beato
Quàm quæ rure piis agitur longæva Colonis ,
Ambitione procul , miſeràque cupidine lucri.
Hinc hominum patrem , mundi Deus author , agreſtes
Edidit inter opes : retro labentibus annis
Aurea ſi qua dedit mortali ſæcula genti ,
Agricolis fluxere viris ; atque illius ævi
Si qua relicta manent veſtigia , rure ſuperſunt ;
Floret ubi ſacra relligio , cultuſque ſupremi
Numinis ; unanimes ubi cernitur inter amicos
Nuda fides , hoſtes inter placabilis ira.
Hic tenui victu ſtudioque laboris aluntur
Juſtitia & pietas : irritant oppida luxum ,

Luxus avaritiam.: ſcelus hæc prorumpit in omne.
Quare agite antiquum patrii revocemus amorem
Ruris ; & agricolas artem doceamus alumnam
Virtutis, fidei comitem, morumque magiſtram.
Mobilibus ſunt qui numeris inflectere vocem
Plaudere qui pedibus choreas, qui cædis amantes
Formanteſque manus in mutua funera, promptam
Heu ! nimiùm ferro monſtrent accerſere mortem.
Ruris ut ipſa ſuo quoque diſciplina magiſtro
Gaudeat ; & campis ſua ſint præcepta colendis ;
Quæ veniunt properanda novo jam Vere, quid Æſtas
Autumnuſque monent, quos rure domique labores
Agricolis permittit Hyems ignava, docebo ;
Annua per varias partitus tempora curas.
Æterno poſtquàm ſoboles æquæva parenti
Induit humanos artus, promiſſaque terris
Auxilia, & tectum mortali corpore Numen
Attulit ; ex illo nobis revolubilis annus
Incipit, effundens primum quâ luce cruorem
Ingenitas homini Deus abluit hoſtia labes.
Inde reſurgentis numerant primordia mundi ;
Et novus à Chriſto ſeclorum naſcitur ordo.
Naturam ſequar ipſe ducem ; Cælumque recludens
Torpenteſque ſinus terræ, reſerabit & annum
Purpureis mihi Ver manibus ; viridemque juventam
Antè canam, triſtis memorem quàm tarda ſenectæ
Tempora : nam quatuor diviſus partibus annus
Humanæ perfecta refert imitamina vitæ.
Vere renidentem credas juveneſcere mundum :
Germina vitali turgent lactentia ſucco :
Nata recèns, ac mollis adhuc, & roboris expers
Audet humo vix ſtare ſeges ; ridentibus agris
Blandior arridet Zephirus ; pennâque jocanti
Mulcet odoratos flores, queis picta decentes

ANNI INITIUM.

Quatuor anni partes.

Terra ſinus, jam tum meſſi præludit opimæ,
Fortior & plenis adoleſcit viribus annus;
Cùm gravis exacto jam Vere reducitur Æſtas,
Maturus fructu dein uberiore decorum
Attollit caput Autumnus; Brumæque nivalis
Denique canities & frigora pigra ſequuntur.
Ergo ubi jam propior gelidas ablegat in Arctos
Sol Hyemem, & nudis frondes Ver mite redonat
Arboribus, viridique refert ſua gramina terræ,
Atque ſuos avibus cantus, ſua gaudia mundo;
Ruſticus hyberno jam non piger igne, ligones
Expedit; & terræ florentis imagine gaudens,
Arva colit, cultuque novos ſuperaddit honores.
En tumet, & gravidas laxato cortice gemmas
Palmes agit: teneras evolvens Vinea frondes
Naſcentem jam tum monſtrat tibi Vinitor uvam,
Sollicitatque tuas præſenti munere curas;
Ut ſepem repares; alimentaque pinguia ferro
Elicias, fodiens circùm, natoſque revellens
Abs radice rubos & iniqui graminis herbam;
Quam niſi fumoſis ſiccam procùl ignibus uras
Radices iterum terris aget, atque per omnem
Latiùs effundet ſeſe vivacior agrum.

Aranda tellus.

Intermiſſa Boves redeant ad aratra, novales
Proſubigant, dum mollis ager, faciliſque moveri,
Non pluviis tamen udus aquis; ne craſſa revellant
Terga ſoli; quas dein glebas nec vomer aratri,
Nec pluviæ Zephirique putri tellure reſolvent.
Difficiles cùm jam primis à menſibus anni
Sulcat Arator agros; hominumque Boumque labores
Sæpius explora: tunc demum intellige crudi
Nil ſupereſſe ſoli, cùm ſciſſa per æquora campi
Inſeritur ſine vi tranſverſis pertica ſulcis.
Hyberno dum pigra gelu ſilet herba; ſoluti

Prata

Prata terant impune Boves: ſed Vere renaſcens *Curanda prata.*
Gramen ubì flores intermicat; udaque verno
Prata colore rubent; procul hinc herboſa ſecundùm
Flumina paſcatur, gravior pede Taurus inerti
Nec calcet ſpes ipſe ſuas cum mollibus herbis.
At neque ſerta legat, floreſque Puella per omnes
Erret, & inſtabilis nunc hos nunc demetat illos,
Nunc omnes effundat humi; Violaſque petoſa
Quas habet in manibus, cupido molles Hyacinthos
Ungue petat, teneraſque vago pede proterat herbas.
Unus erit verno qui tempore prata Colonus
Ambulet, ut Juncos ima de ſtirpe revellat,
Ac lapides, & ſi qua jacent obnoxia falci,
Amoveat; nudæque ruens telluris acervos,
Æquet humum dorſo quam deformavit iniquo
Effodiens hinc inde cavos ſibi Talpa penates.
Ipſa etiam ſenio (niſi vis humana reſiſtat)
Degenerant quæ prata, fimo recreate; ſitùmque
Et veterem campi maciem ſuperate colendo.
Atque ubì nil profunt ſterili lætamina fundo;
Jam neque rivus aquis juvat auxiliaribus herbam;
Invalidis juncos inter quæ ſtirpibus ægrè
Proſilit, & rarâ brevis interlucet ariſtâ;
Prata lacertoſi ſubigant ignava juvenci:
Altiùs aut palant nitens pede Ruſticus arvis
Imprimat, & verſis Cælo radicibus, herbam
Extirpet penitus. Mutato ſemine terra
Triticeas alet ingenti cum fœnore meſſes,
Atque iterum viridi ſe lætior induet herbâ.
Arenti quos prata bibant æſtate, parabis
Ante diem rivos; & decreſcentibus alveis
Arboreæ frondis tenues imitabere ductus.
Aſpicis ut vena fluat è majore canales
In minimos, frondemque liquor prorepat in omnem:

Editiore loco ſic grandior alveus amnem
Accipit, ac rivis hinc inde minoribus undam
Diſſipat, & latè ſitientes irrigat herbas.
Sparge fimum, ſublimis ubi ſe campus ad Auſtros
Erigit: hinc imber pluvius rivique cadentes
Acclivis alimenta ferent pinguiſſima terris.

SARITURA SEGETUM.

Te quoque Vere manent tua cura, tuique labores
Villica: jam levibus ſeges edita fluctuat Euris:
Sed ſteriles unà Lappæ crevere; tenellam
Jam Cererem Lolium infelix & Avena fatigant.
Fœmineam tecum rape matutina cohortem;
Herboſam ferro ſegetem rimare; nec agro,
Quos legis, hinc illinc temerè diſperge maniplos;
Cultori ſed dona ſuo quæ terra remittit
Fer ſtabulis; duroſque Boum miſerata labores,
Fac niteant herbis ſegetes Taurique revulſis.

BOMBICES.

Altera ſollicitis impendet cura Puellis;
Morus ubi paritura novam Bombicibus eſcam
Evolvet tunicis folium; tepidoque monebit
Ova fovere ſinu, tenueſque excludere fœtus,
Cunctaque lanivomæ proviſa reponere genti.
Ergo victa ſitu renovant tabulata; feneſtras
Occludunt Auſtros contra; menſiſque paratis
In teſtudineos, ſpatiis æqualibus, arcus
Inflectunt ſarmenta; quibus dein ordine pulchro
Serica fornicibus ſuſpendat ſtamina Bombix.
Tum procul infeſtos curant avertere Mures;
Ne penetrare domum thalamiſque adrepere poſſint.
Maturant hæc cuncta, brevem dum luminis uſum
Accipit, & primos tenui dans corpore motus,
Opportuna, cibi parcus, facit otia Vermis.
Nam menſas cùm dein latè diffuſus in omnes
Crevit, & arboreas properat depaſcere frondes;
Vix operi & gregibus ſatis eſt domus omnis alendis.

Proceras ſpolient Moros, proviſaque ſervent
Sub tectis alimenta, nigram cùm denſior aër
Cogitur in nubem, pluvioſque recolligit imbres.
Sedulà Bombicum cuſtos operumque magiſtrà
Frondea quæ ſaturis diſpenſas pabula menſis,
Thysbæam ne carpe comam, ſi fortè madebit;
Vel matutinis palleſcet aduſta pruinis:
Sed ſiccam viridemque aliâ procul arbore frondem
Dum repetas; Suis exiguas de tergore partes
Ure foco; pinguique leva jejunia fumo,
Occultè medicans, & nubila tecta vaporans.

Bom-
bices.

Projice ſi qua jacent defuncta cadavera; diramque
Anteveni, thalamos mutans & ſtramina, cladem.
Arroſam quoties frondem dejectaque mittes
Purgamenta ſolo; viridem ſuperinjice Morum:
Si quis enim folium Vermis latet inter adeſum,
Emergit ſtimulante fame; Morumque recentem
Occupat; & menſis cum fronde reponitur altis.
Atque ubi jam brevior locus eſt, populumque frequentem
Vix capit; in varias hinc illinc tota cohortes
Gens habitet: primum qui devicere ſoporem
Bombices aliis thalamis, aliiſque recumbant
Quos iterum premit alta quies: quos ultimus urget
Somnus, ad extremas epulas operumque laborem
Invitans reſides inter ſarmenta locabis;
Queis ſaturi adrepant & fila ſequacia ducant.

Cætera dum vires reparant animalia, noctem
Somniferam Bombix oculis non accipit unus.
Vita brevis quater ignavum per membra ſoporem
Irrigat: erectâ placidus cervice quieſcit,
Immotuſque manet, donec lux tertia longum
Excutiat tandem pigro de corpore ſomnum;
Evigiletque famem: vacui jejunia ventris
Sedat ubi Bombix, tabulata per omnia lenis

BOMBICES. Fit ſtrepitus; qualem audimus, cùm nube ſolutâ
Depluit, & ſurdo ſtrepit altum murmure tectum.
Jam ſatur, & vitæ Bombix pertæſus inertis,
Cogitat exequias, & quod ſtruat ore ſepulchrum
Lanivomo: plexos croceo dans corpore tortus,
Opportunam operi ſarmenta per ardua ſedem
Occupat; & craſſum ramis intexere filum
Incipit, egregii fundamina prima laboris.
Tranquillos ſine nube dies orate Puellæ:
Nam tenebris ſi fortè minax horreſcit Olympus;
Et vaſto quatitur tonitru, quo mœnia mundi
Diſſiluiſſe putes; Bombix perterritus altas
Continuò ſedes atque interrupta relinquens
Stamina, ſub foliis latitat, nec fila retexit
Ampliùs, ignavâ moriens formidine lethi.
Ignoſcenda quidem Tineæ formido; virorum
Si ſtupeant ſimili bombicina corda pavore.
Ergo ſerenato dum lux micat aurea Cælo,
Pendulus alta ſuper Bombix tabulata laborem
Inſiſtit; mediuſque brevi ſe carcere claudit,
Ditis opes uteri fundens, ovique figuram
Sedulus effingens opifex; & ſtamine quanquàm
Ipſe ſuo tegitur; tamen, ut cùm vitrea Piſcis
Stagna ſecat, mediiſque natans apparet in undis;
Atria ſic primum Bombix per virgea filum
Intus ubi regit ore, potes ſpectare viarum
Circuitus quos mille legit, quoſque orbibus orbes
Impiger agglomerat; nebulâ dum clauſus opacâ
Denſet opus, quod dein tranquilla per otia complet;
Dives inexhauſto mittens è pectore vellus.
Quos oculis jam non licet obſervare labores,
Arrectâ vigiles explorent aure Puellæ;
Et cùm facta quies operum eſt, intuſque ſiletur;
Protinus avulſos ramis flaventibus undâ

Folliculos fervente doment, vel Sole perurant; BOMBICES.
Carceris antè ſui capiant quàm tædia Vermem.
Namque terebrato Bombix erumpit ab ovo,
Impatiens reddi luci, cupiduſque videndi
Adnatas humeris alas, adjectaque fronti
Cornua, & in volucrem verſæ miracula formæ:
Sed non tanta novis tamen eſt fiducia pennis;
Auſit inexpertas ut tollere corpus in auras:
Obſtupet ipſe ſuî memor, & ſtridentibus alis
Papilio fremit attonitus, nec pabula curat.
Jejunus ſtat pulla ſuper velamina, mortem
Opperiens; vel, ſola ſui ſolatia lethi,
Conſortem thalami petit; & ne perdita ſecum
Intereat prorſus generis ſpes tota, ſupremis
Admittit venerem curis; partuque ſoluta
Fœmina perpetuam reparat poſt funera gentem;
Ovaque venturum ſervanda relinquit in annum.
Fumoſis currente rotâ quæ duxit ahenis,
Aurea ſole procul dum fila recondit, opeſque
Villica miratur fortunatoſque labores;
Gaudet & ipſe novo quoque vellere Ruſticus, aurâ LANÆ TONSURA.
Jam tepidâ lanam tondens, Oviumque quotannis
Munera diripiens, & terga feracia nudans.
Interea terras iterum molitur aratro; AGRORUM ITERATIO.
Falciferas herboſa manus dum prata repoſcant;
Cùm fœnum Zephiris jam lenè moventibus undans
Fluctuat, & gravidis nova ſemina diſſipat agris.
Mollior herba licèt grandem micet inter Avenam, FOENISECIUM.
Floſque recens niveo mixtum candore ruborem
Explicet; immitis ſecat omnia Meſſor; & uno
Procumbunt & flos tener, & rude gramen ab ictu:
Sic morimur fœdique Senes, Puerique decori:
Nobile plebeiumque caput ſic ſubjacet atræ,
Quâ vitas hominum Mors demetit impia, falci.

Fœniſeca in cumulos proſtratam congerit herbam,
Confundens nitidos vili cum gramine flores:
Sic ubi Mors pede proruerit Regeſque ſuperbos,
Agricolaſque humiles; & Principis atque Coloni
Indiſtincta jacent communibus oſſa ſepulchris.

(Ubi de morte Delphini Ducis Burgundiæ.)

Hei mihi cur Regum memini Mortiſque! cruentum:
En redit in vulnus nondum bene ſana cicatrix;
Nec niſi flere juvat, quoties funeſta recurſant
Tempora, quæ tantos Gallis fecere dolores.
Funereo plenas luctu graſſata per urbes,
Majus adorſa nefas, ſacram prorepſit in Aulam
Impia Mors; & dum peragit ſol annuus orbem,
Delphini periere duo; ſeniſque diebus
Interiit tenera Sponſus cum Conjuge; Natus
Defunctum ſpatio ſequitur propiore Parentem;
Atque uno Conjux & Vir jacuere feretro.
Afflictas jam dira fames & flebile bellum
Morborumque cohors viduarant civibus urbes.
Publica fata dolens Princeps Burgundius ultro
Se nova divinùm quæ flecteret hoſtia numen,
Devovet. Audiſti Deus! at ſi lenior eſſe
Funere debueras, populo quid obire volenti
Parcere, nec tantam numero penſare ruinam.
Irarum ſatis eſt: armatam in vulnera dextram
Siſte; novoque, Deus, ne funere funus acerba;
Et totam penitus niſi mens excindere gentem,
Uni quod ſupereſt capiti, quo vita ſaluſque
Publica jam dudum pendent, placatior uni
Parce Deus! tuque, ô Lodoix, qui magnus in armis;
Major in adverſis Numen nunc rebus adoras,
Macte animis, & quam partitur Gallia tecum,
Triſtitiam fortis compeſce; tuoque dolentes
Ne Populos mœrore grava: ſolatia nobis
Si qua licet ſperare, tuum eſt adhibere: Nepotis

Germen adhuc de ſtirpe manet, ſpes altera Regni:
Solvitur in lacrymas puer orbus utroque parente,
Adrepitque tuis genibus ſuſpiria ducens.
Non intellectum ſatis heu! tu comprime luctum;
Amplexare fovens gremio; nec amica, ſereno
Si potes ore, nega blando Pater oſcula Nato.
Reſtat & ille tibi patrias formandus ad artes
Imperii: notos iterumque iterumque labores
Aggredere; & magnas animo ſpes concipe: Natus
Namque tuus ſi tantus erat, ſi major eiſdem
Exemplis monitiſque Nepos excultus: avitæ
Quantus erit Pronepos virtutis tertius hæres.
Sint ſatis hæc; ô Muſa! graves è corde dolores
Si nequeas, fletus oculis abſterge, tuoſque
Fœniſecas & prata ſequens operoſa, labores
Parva per ingentes ſolatia quære dolorum.
Poſt aliquot ſoles, furcâ quod ſæpe bicorni
Verſatum, jam nec viride eſt, nec Sole peruſtum — FOENILE.
Siccatumque nimis, ſub tecta reponite fœnum:
Lanigeras neque enim pecudes, operumque ſolutos
Dura fames adiget Tauros contingere morſu
Gramina, quæ longis exucca caloribus arent:
Quæ verò nondum ſatis inſolata recondes
Imprudens, ſubitis pariunt incendia flammis:
Hos ſtabulis ignes, hæc tanta pericula tectis
Villicus amoveat, nudoque ſub æthere fœnum
Coniferos ſtruat in cumulos; ut ad intima metæ
Non penetret, ſed per latera inclinata relabens
Imber humi cadat, & perflabilis avolet humor.
Amnis ubì ruit exundans, & pabula lymphis
Spurcat arenoſis; inimicam dentibus eſcam
Rejicies; niſi quod pluvius peccaverit Auſter
Emendet, fœnumque novo detergeat imbre.
Sub juga coge Boves iterum; pratoque relicto,

AGRORUM TERTIATIO. Tranſverſis campum ſulcis inverte, priuſquam
Reſpuat, æſtivo dein tempore durus, aratrum.
VINEARUM PAMPINATIO. Ingredere & rurſum Vites; primoque ſub ævo
Mollibus exturba digitis, quæ plurima circùm
Stirpis in exitium creſcunt, matremque fatigant
Germina: ſic Viti nullo clementiùs ictu
Conſulitur; luxuſque & inanis tollitur umbra.
Tunc etiam memor arboreos inviſere fœtus,
Quæ ramos vitioſa gravant, interlege poma.
SEGES *à rubigine tuenda.* Lactenti cùm fruge tumet, rubigine meſſis
Læſa perit, tenui ſi fortè ſupervenit imbri
Flammigero Sol axe furens; ſeges uda priuſquam
Excutiat rorem, vento perflata ſalubri.
Agricolæ longum bini protendite funem;
Frugiferumque cito campum decurrite paſſu;
Atque flagellantes ſpicas, Auſtrumque ſilentem
Verbere ſupplentes, inimicam avertite peſtem.
MESSIS. Dein ubi maturis tellus albeſcet ariſtis;
Dulcior Agricolas toto labor orbe manebit.
Naſcitur alma ſeges Cælo ſub utroque; ſuuſque
Ut calor Ægipto, Thracibus ſic frigora proſunt:
Ubere ditat enim fœtu vis utraque terram;
Et quæ delicias vitæ mortalis in omnes
Partitur natura plagas, dedit omnibus agris
Triticeas, alimenta virûm communia, fruges.
Flavis ergo ſeges cùm fluctuat aurea campis,
Demiſſumque caput gravidis inclinat ariſtis;
Accingunt operi ſeſe matreſque virique.
Ac veſut in magnis patriæ gentiſque periclis,
Dira tubæ cùm bella canunt, ruit omnis in hoſtem
Miles; & armatis viduantur Civibus Urbes:
Sic ubi procera pendens ex arbore, rauco
Meſſores arguta vocat ſtridore Cicada;
Falcibus armantur; campoſque reſecta per omnes

Procumbit ſeges; & primo naſcentis ab ortu *Meſſis.*
Solis ad occaſum requies vix ulla laborum eſt.
Temperat æſtivos prædæ ſpes blanda calores;
Et medio licèt orbe furens meſſemque viroſque
Torreat, ac membris ſudorem abſtergat, & idem
Eliciat Phœbus; non umbram & mollia captant
Frigora Meſſores, etiam cùm feſſa diurno
Membra ſopore levant: nudo ſub Sole recumbunt;
Nec ſatis eſt radiis illos ſolaribus uri:
Ignibus adjiciunt ignes; & odora legentes
Allia, delicias menſæ, Cerealia tetro
Munera contingunt ſucco, frictuque venenant.
 Poſt epulas, placido ſternentes corpora ſomno
Meſſe ſuper, vigilis reparant diſpendia noctis:
Non immunis enim eſt duri nox ipſa laboris:
Colligitur ſeges, inque graves religata maniplos
Devehitur curru; noctis dum frigus ariſtas
Contrahit; in Tauros neque Sol exaſperat Œſtrum.
 Hordea prima cadant, quæ ſemen hiantibus ultro
Folliculis, etiam venti ſine flatibus ullis
Projiciunt: fluidæ pariter cædantur Avenæ:
Ordine tum nullo ſpicas vel pectine ſummas
Tollite, vel ferro meſſos proſternite culmos;
Atque dies operi noctesque inſiſtite; flavam
Excutiat cæco ventus ne turbine meſſem,
Alituum vel grex paſſis diverberet alis.
 Durius heu! patriis nuper quid contigit arvis: *(Ubi de grandine.)*
Nam ſegetes, & quidquid opum nutribat opimo
Terra ſinu, grando immanis populavit; & anni
Totius immenſos nox abſtulit una labores.
Triſtes relliquias, frumenta jacentia terris,
Horrentes plagis Oleas, horrentia paſſim
Excuſſis arbuſta comis, viduata racemis
Et multos Vineta malum fletura per annos

Et vidi, & dolui miſerans; ſolatia mecum
Blanda fovens, triſtem quòd, me referente, ruinam
Accipere, & tantæ poſſis ſuccurrere cladî,
Lamonide juris cuſtos, quem fecit amícum
Muſa mihi, miſeriſque patrem natura creavit.
Triſtè quidem, noſtræ ſed, ut auguror, horrida grando
Sæviit utiliter laudi, te præſide rerum:
Si quid enim de me ſentire ſuperbiùs auſim,
Stabit apud memores benefacti gratia Cives,
Qualis Virgilio fuit olim, qualis Homero
Debita, qui patrios ſervarunt carmine fines.
Non ego me tantis poſſum conferre Poëtis:
Fautores utriuſque potes ſed vincere pronis
In Muſas animis quos jam virtutibus æquas.
Te Mecænati Proavis meritiſque potenti
Æqualem faciunt Vatum tutela, favorque
Regis, & imperii rebus mens nata gerendis.
Neve fores (1.) alii abſimilis, fecere rebelles;
Quos non conſilio tantùm, ſed fortibus auſis,
Felici ſed Marte domas. Hinc Hæreſis odit
Te fidei & Regni columen; dudumque per altos
Exululans montes, nil proficientibus armis,
Poſſe negat revocare ſuos, te ſoſpite, cultus.
Quare age; quique meam tollens ad ſidera Muſam;
Virgilium dicis tibi rura dediſſe; viciſſim
Rura ſuum ſervata canant habuiſſe Maronem:
Tu niſi Mecænas fueris patriæque mihique,
Non ego Virgilius poſthac ero: nobile nomen
Quo dederas animo, jam nunc defende; tuoque
Judicio, noſtræque fidem bonus adſtrue famæ.
PAGANALIA. Fertilis æſtivo poſtquàm ſatis atea pulſu
Inſonuit; duroque Ceres extrita flagello,
Et Zephyris purgata fuit; dum Sole tepenti

(1.) *Alexander Homeri fautor.*

Læta per apricos coquitur Vindemia colles ; PAGNALIA,
Ceſſandique moras humus intractabilis æſtu
Agricolis indulget ; amat tunc otia pagus,
Et celebrat ſibi quæ redeunt ſolennia feſta,
Chriſtiparæ ſacros anno referente triumphos,
Felicemque diem, quo dulci morte ſolutam
Æthereâ plaudens Matrem Deus excipit aulâ ;
Sanguinis ut memor illa ſui, mortalibus ægris
Adſit, & humanis faciat commercia votis.
Hanc olim tuus ô Lodoix, felicibus armis
Juſtitiâque pater celebris, ſed ſtirpe relictâ
Clarior, edixit lucem ſervare, tuenda
Chriſtiparæ dans ſceptra ; pii nec inania Regis
Vota docent, quæ matre Dei geris auſpice bella,
Quoſque triumphorum fructus extendis in ævum,
Hæreticas abigens, cladum mala ſemina, peſtes.
Ergo dies ubì feſtus adeſt, ſplendentia primùm
Templa gravent opibus Pagi ; pictiſque recentes
Accumulent aris flores. Vos illa, Puellæ,
Cura manet : niteant veſtris altaria donis.
Tuque juventutis Princeps, qui publica ruris
Gaudia, qui choreas moderaris ; ſacra Sacerdos
Dum peraget, cave ne lituum clangore moreris
Effuſam circum vicos & compita plebem.
Liba ferens, ſanctas cytharis comitantibus ædes
Matutinus adi ; & donis precibuſque memento
Sacra vovere Deo feſtæ primordia lucis.
Cælituum voces inter, qui carmen amavit
Paſtorale Deus, tugurî ſub tegmine naſcens,
Agreſtes cælo non dedignatur ab alto
Et cantus, & juncta rudi pia carmina nervo.
Plurimus intereà vicinis hoſpes ab oris
Confluit : apponunt epulis Porcumque bimeſtrem ;
Et Leporem, & Pullos, & pingui jure natantum

Par Anatum; nec abeſt preſſi bona copia lactis:
Et quanvis hilarent multo convivia Baccho;
Quò ſtrepitus tamen, & fidibus ſociata canoris
Tympana plauſa vocant, menſis juvat ire relictis,
Et poſito cratere leves agitare choreas.


Chorea. Ordine nunc longo manibus per mutua nexis
Circumeunt vicum; mediâ nunc ſiſtere gaudent
In platea, populoquè cavis ſpectante feneſtris,
Ad numeros & verba pedes agitare manuſque,
Et malè compoſitos torto dare corpore motus.
Nunc virides inter ſinuoſis flexibus Ulmos
Currere, nunc manibus laxis, & fune ſoluto
Se fugere, & binos ſibi dein occurrere, terga
Nunc dare, nunc ſubito vultus obvertere ſaltu.
Sæpe, monente lyrâ, juvenum manus omnis, ovanti
Spectandas populo, levat in ſublime Puellas.
Sæpe ſedent laſſi; ſua mox velut otia damnent,
Exiliunt, iterumque ſolum pede vindice pulſant;
Atque iterum redeunt ad vina; noviſque viciſſim
Convivia. Inſtaurant animos epulis, & corpora curant:
Jamque coronatum fauſtis cratera ſalutant
Cantibus; & ſpretâ laudant Amaryllide Bacchum,
Inque ſcyphos rerum curas & tædia mergunt.

Spectacula. Agreſtes præter choreas cantuſque tubarum,
Sunt quæ multa tenent avidam ſpectacula plebem.
Hinc merces inhiant Pueri cupidæque Puellæ;
Ante ſacras vafer explicuit quas venditor ædes.
Faſcinat hinc oculos ſubtilibus Hiſtrio nugis;
Et fieri quæ poſſe neges, per mille novarum
Expedit ambages vocum: plebs inſcia rerum
Prodigium ſtupet, & magicas immurmurat artes.
Mutatâ dein fraude Polum trans vitra micantem,
Aut roſeæ telluris opes, pelagive tumultus
Exhibet; & Reges idem Regumque ſuperbos

Objicit

Objicis aurata ſtantes in veſte Miniſtros.
Nunc aciem & rutilas eadem poſt vitra cohortes
Explicat ; aërias longo nunc ordine Quercus
Ponit ; & horribiles Urſos, ſævoſque Leones,
Errantesque lupos ſylvis frondentibus addit.
Hinc plauſtro ſuper & poſt lintea tenſa, cachinnos
Gens Pygmæa movet, pede quæ non altior uno
Emergens, & viſa loqui, rixatur ; & hoſtem
Fuſte ſequens, ſeſe ex oculis mirantibus aufert.
Inde Boëmarum vaga gens atque horrida cultu
Fata virûm manibus relegens inſcripta, Colono
Spem facit, & dubios Augur fortunat amores.
Ramoſis alii plauſtris per compita vecti
Ruris delicias & Paganalia verſu
Concelebrant. Alii cornu patuloque Ferarum
Horrificant rictu faciem ; quos ruſticus infans
Quærat, & inventos fugiat, matrique reportet
Ora virûm medio quæ viderit horrida vico.
Exoritur novus en ſtrepitus : vicina juventus
Ruſtica rivalem vocat in certamina Pagum ;
Sive trocho, pictis ſenos ſeu ludere chartis,
Sive pilâ, rapidoque juvat contendere curſu.
Et ſua proponit trabeatus præmia Conſul.
Concurrunt in Equis juvenes : ſtat penſilis alta
Annulus ex Ulmo ; curſu quem ſi quis equeſtri
Abſtulit, inſeruitque haſtæ ; victoris honores
Conſul adornatum vittis dat ferre galerum.
Hinc epulis dulcique datur lux cætera vino ;
Sed non longa manet pax inter pocula : Vitis
Rixarumque ſator linguas in jurgia Liber
Solvit, & agreſtes nodoſis fuſtibus armat
In fera bella manus ; feſtivaque gaudia luctus
Occupat & miſero contriſtat funere Pagum.
Quid feras memorem lunâ quas teſte choreas

Inſtaurant, teneros quid amica per oſtia cantus
Provectâ jam nocte; ſuam cùm Phyllida clamat,
Et ſurdas jacet ante fores, abienſque Menalcas
Denigrat ingratos memori fuligine poſtes.
Quid cytharas loquar atque tubam jam triſte canentem;
Cùm lux orta refert hominumque Boumque labores.





PRÆDII RUSTICI

LIBER VIII.

ANNI RUSTICI PARS SECUNDA.

AUTUMNUS, HYEMS.

ALTERA pars anni ſupereſt agitanda: receſſit AUTUMNUS.
Et procul æſtivos trans æquora fervidus ignes
Ardenti vomit ore Canis: quo creverat auctu
Decedens, medioque iterum ſtans Phœbus Olympo,
Lance dies æquat juſtâ cum noctibus; horas
Dans operi ſomnoque pares, blandiſque calorem
Frigoribus miſcens, lenes attemperat auras.
Pampineis pater Autumnus de collibus uvas
Oſtentans & poma graves onerantia ramos,

AUTUMNALIS RUSTICATIO.

Urbibus hortatur cives migrare relictis.
Ite viri quò res, quò formoſiſſimus annus;
Dives opum quò vos tellus vocat, ite volentes;
Inque ſinu villæ poſitis requieſcite curis.
Et vos Agricolæ, Domino veniente, Penates
Inſtruite; & famulas jugi ſit cura labore
Exercere manus; ut rure domique nitefcant
Omnia: curvatis paſſim pendentia ramis
Invitent hinc Poma manus; hinc lumina flores
Confuſo teneant variorum errore colorum.
Obſtrepat, & læto ſeſe ferat obvia plauſu
Altilium numeroſa cohors; egreſſaque tectis
Denſa Columbarum nubes obſcuret Olympum;
Nec tantas Herus inter opes deſideret urbem.
Totos ille dies rus ambulat, omnia latè
Colluſtrans oculis, & pinguia culta reviſens.
Manè legit flores, ſibi quos nox humida laxis
Explicuit tunicis: lento pomaria greſſu
Circuit; & varios trunco miratur in uno
Creſcere ſuppoſitos fœtus; quos inſcia fudit,
Non invita tamen vel ſucci parcior arbos
Educat. Interea Phœbo naſcente loquaces
Dulce ſonant paſſim volucres; & cantibus aures
Oblectant, dum læta novus flos lumina paſcit.
Frondiferis ſeſe condit poſt prandia ſylvis,
Aut virides umbras nemorumque ſilentia leni
Permutat rivi ſtrepitu; ſomnoſque ſuſurro
Invitante leves, placidæ dat membra quieti.
Veſpere molle jugum pedibus conſcendit; & altâ
Rupe ſedens, oculis ſequitur mirantibus amnem,
Culta per arva fluens, alius qui ſemper & idem,
Præcipites volvit magno cum murmure fluctus.
Gramineum videt inde Boves depaſcere littus;
Hinc ovium gaudere gregem Paſtoris avenâ,

Phyllida vel ripas cantu reſonare docentem.

AUTUMNALIS RUSTICATIO.

Hæc inter ſylvis Avium ſe millia condunt:
Nidorum memores repetunt ſua tecta Columbæ:
Perdices, quas ſparſit agris Venator, acutâ
Voce parens vocat, & disjectum colligit agmen.
Aërias urbis turres & tecta domorum
Occiduo procul aſpectat clareſcere ſole;
Urbanoſque, fruens ſecurâ pace, tumultus
Cogitat; & velut è ſpecula, civilibus undis
Emerſus portumque tenens, videt ire per altum
Mille rates, ferrique alias fallacibus Auſtris
In ſcopulos, alias gnavi ductoris egentes,
Quò venti quò fata vocant, fluitare regentis
Arbitrio Pelagi, multas ſine remige, velis
Vel laceris maliſque, dari ludibria Ponto,
Triſtibus hærentes aliquas in ſyrtibus, omnes
Debacchante quati fluctu, paucaſque ſubire,
Quò properant cunctæ, felicibus oſtia ventis.
Hæc agitat ſecum, oblitus decedere nocti:
Quanvis non odium non cura domeſtica tectis
Abſterrent: ſero nam veſpere lætior ædes
Ingreditur; caraque ſedens cum conjuge, narrat
Quas culto ſpes rure refert auditque viciſſim
Commoda quanta domi, facilis quàm victus agreſtes
Inter opes, pleno fundit quas copia cornu.
Irriguus parcis hortus dat oluſcula menſis,
Chors Anates Pulloſque; ſuis ab ovilibus herbæ
Inſcius Agnus adeſt, ab hara Porcellus, ab agris
Et Lepus, & plumbo Perdix quæ conſtitit uno.
Formoſus quoque grex puerûm ſua gaudia vultu
Explicat; & quo poma loco matura rubeſcant,
Pendeat aut ficus quâ mollior arbore, totis
Quærit agris: vacuas ſtudio venatibus horas
Fallit; & inſidias Turdo molitus edaci,

Gaudet & ipſe ſuam menſis apponere prædam.
Ut juvat Autumni ſoles ita condere rure,
Oppidaque & vanos animo contemnere faſtus,
Naturamque ſequi, non famam & triſte decori
Servitium, quod in urbe jubet tenuare voraci
Divitias luxu, turbâ famulante fragoſos
Anguſtare lares, auro fulgere, ſuoſque
Paſcendis aliorum oculis abſumere cenſus.
Quod ſatis eſt vitæ poſcenti pauca miniſtrat
Terra virûm nutrix: non pulmentaria, raras
Non volucres frugi ſtomachus, non orbe petitum
Ex alio vinum ſitis ambitioſa requirit.
Sed facili ſervos uſu, ſed frigore veſtes,
Et comitum læto menſi convivia cœtu,
Non pompâ faſtuque, ſibi conſtantia parvo
Gaudia magna parant; ſecumque habitare potentes,
Non aliena vagi concurſant limina, tempus
Ut pluvium, nimio vel aduſtum ſole crepantes,
Mutua ſe rerum vacuo ſermone fatigent.
Non tamen obſcurum ſubeunt ignava receſſum
Tædia; ſed ſolidos operoſa per otia ſoles
Condit Herus. Fœnum jubet autumnale ſecari; AUTUMNALE FŒNISECIUM.
Et purgata novis religari dolia vinclis.
Tecta fragore tonant reſono; nec duriùs aures
Obtundunt reducis prænuntia murmura Bacchi.
Inſtantis memor interea ſementis Arator ULTIMA AGRORUM MOLITIO.
Arva parat, facilique exercet vomere terram.
Si priùs ingruerit ruptis è nubibus imber:
Durior infractis ne vix humus eruta glebis
Laſſet anhelantes vano ſudore Juvencos;
Quos ego maluerim pratis errare ſolutos,
Arida durati quàm terga revellere campi.
Meſſis enim quanquam ſub iniquo pondere glebæ
Naſcitur, & varios circùm dat acumine tortus,

Vix tamen æthereas iter eluctatur in auras.
Stercora purgatis ab ovilibus antè Colonus **Stercoratio.**
Egerat, exiles iteret quàm vomere colles.
Vertat agros, inaretque fimum; nec diſſipet uno
Plus quàm ſole poteſt altis abſcondere ſulcis:
Siccior in tenues vaneſcit inobrutus auras.
Arva Juvat vetus & ſatur imbre, recentior (herbas
Qui generat) pratis fimus injicietur aquoſis.
Sæpe nec Immodicè ſaturet ſola macra Colonus;
Et laſſi vires reparet non opprimat agri.
Larga vel in crudos abeunt lætamina ſuccos;
Arva vel exurunt; alimentaque pinguia tellus
Concipiens, fuſo virides citat impete fœtus;
Luxurianſque ſeges fallacibus enitet herbis;
Nec genibus ſe deinde ſuis ſuſtentat; humique
Prona jacens, caſſis mendax ſpem fallit ariſtis.
Arva putri non poſſe fimo ſaturare, Coloni
Deſidis eſt: Pagi ſordes, cœnoſaque Villæ
Purgamenta, comas nemorum, frondemque caducam;
Et paleas, & quidquid aquis ſpumantibus amnis
Invehit ad ripas torrentior, omnia foſſis
Ingerite; & totum veteraſcere juſſa per annum,
Autumno redeunte, pigris affundite campis.
Florentes inarate Fabas pro ſtercore; ſiccos
Vel cineres, ſterilemque, fimi vice pinguis, arenam
Fundite, ſi fuerit gravior cretoſaque terra:
Rarior at contrà ſabuloque ſimillima, denſam
Accipiat cretam; quas emendata per artes
Auxilium ſibi dona feret per mutua tellus.
Aſt ope vix aliâ magis exultabit, aperto
Sub Jove pernoctans quàm ſi pecus incubet agris;
Mollior hybernis parcet dum flatibus Eurus.
Quas matura refert dulces vindemia curas **Vindemia.**
Prætereo; nec Bacche ſequar te Vite cadentem,

Et gravibus vectum plauſtris, nudiſque fluentem
Sub pedibus, miſſumque cadis, intuſque furentem;
Quanquàm animus læto velit indulgere labori.
Nam primâ ſeu luce petant vineta cohortes
Fœmineæ; curvâ tollant ſeu falce racemos;
Plenoſve exonerent calathos; aut Vite ſub ipſa
Inſtaurent epulas inopes; nec gaudia ceſſant,
Effuſique joci; quibus agmen agreſte Bubulcum
Impetit, & Dominos petulans laſcivit in ipſos.
Vitifero ne carpat iter ſub colle viator;
Argutos quicumque ſales & jurgia linguæ
Oderit; & turbæ metuet jocus eſſe procaci.
Non minor eſt ſtrepituſque domi plauſuſque, Lyæo
Adventante: mero ſordens, muſtoque fluentes
Nuda pedes, ſuraſque altè ſuccincta juventus
Curſitat; & plauſtris venientibus obvia, fauſto
Cum clamore trahit dulces ad præla racemos;
Inſilienſque ſuper, gaudet manare rubentes
Sub pedibus fluctus; verſiſque in pocula palmis,
Prælibat latices blandos; mentumque Lyæo
Humenteſque ſinus patuloſque irrorat hiatus.

SEMENTIS. Hæc aliàs: cælo interea dum vectus aperto
Aëra purpureo veſtit ſol lumine; necdum
Humidus in terras effundit Aquarius urnam;
Solenni ſemente ſolum gravidemus; arandis
Succedens iterum campis, leviore Bubulcus
Vomere ſcindat humum; neque ſulcis obruat altis
Semina, vix almas dein eruptura ſub auras.
Cratibus æquet agros, glebaſque infringat inertes;
Atque ubi perpetuis madet imbribus humida tellus,
Ruſticus aurito liras attollat aratro;
Ut pluvios ſulcus derivet aquarius imbres,
Nec ſeges intereat ſtagnantibus ebria lymphis.
Feſtinata nimis ſementis ſæpe Colonum

Decipit : at votis numquam reſpondet avaris
Serior : anniculum ſemen quod pondere præſtat
Robuſtumque nitet, ſicco repetatur ab agro :
Semina degenerant humentibus optima terris.

Sementis.

Prima ſolo farrago putri mandetur ; ut Agnis
Herbeſcat teneris maturior : Hordea ſiccis
Collibus, & pingui jaciantur Adorea campo.
Nocturno quod rore madens committitur arvis
Emicat in molles ſemen velociùs auras.

Singula quot modios ſpargas in jugera, campi
Vis habituſque docent ; quod enim jejuna recuſat,
Accipiet ſatiata fimo requietaque tellus.
Quin etiam vaſto ſemen qui diſſipat agro ;
Pro varia tellure, manus nunc laxat : & idem
Parciùs effundit preſſo nunc ſemina pugno ;
Nec plus credit humi quàm reddere poſſit, & ipſis
Nil etiam ſupra vires bonus imperat agris ;
Et Milium aut Vicias hic obruit, unde Juvencos
Triticeam plauſtro ſegetem vexere gementi.
Namque aliis velutà ſtudiis ad Apollinis artem
Muſa vocat ; vetereſque levat nova cura labores ;
Sic viget in partus mutato ſemine terræ :
Omnis enim plantas non truditur humor in omnes ;
Et ſua robuſtæ ducunt hinc pabula meſſes,
Aret ubi, ſucco jam deficiente, Legumen.

(Ubi de ſeminis mutatione.

Hoc odium eſt, & amor tacitus, quo dicitur herbam
Herba ſequi, verſis retro vel cedere fibris.
Inde Rofis gaudent propioribus Allia ; Rutham
Ficus amat ; diverſa trahunt quia pabula terris ;
Atque eadem contrà vicinam Rutha Cicutam
Emaciat, Rorique nocet Saliunca marino ;
Communem rapiat quòd edacior altera ſuccum :
Herbam non aliis interficit herba venenis.

Et de mutuo plantarum odio.)

Omnia poſt imbres gravidis feliciùs arvis

SEMENTIS. Semina naſcuntur : ſudo tamen æthere nubes
Si ſteterint ; nec curet humi ſitientis amicum
In gremium læto deſcendere Jupiter imbre ;
Nil dubita ſiccis committere ſemina campis.
Prædabunda quidem Volucris , nigroque ruentes
Agmine Formicæ levibus malè condita terris
Grana legent : ſed & illa levis jactura ; pigrumque
Major Aratorem labes , damnumque manebunt ,
Humida ſi pluviis , aut horrida frigore , ſerum
Accipiat ſemen tellus ; primumque ſub ortum
Palleat , & glacie ſeges infeſtetur iniquâ.
Verſatis properate viri dare ſemina terris :
Nam quod inoccatum eſt agris ſitientibus , imbre
Cùm putruit modico , viridem conſurgit in herbam ;
Quæ tereti molles ubi rupit acumine terras ;
Hæret , & hyberni contra vim frigoris , imam
Conſolidat ſtirpem ; dum mollior aura ſilentes
Evocet , & quaſi vaginis emergere culmos
Cogat ; & inſidias contra , volucrûmque rapinam ;
Vallet ariſtarum tutas munimine fruges.

Medicata ſemina. Si quo fortè placet contingere ſemina ſucco ;
Atque ſalutiferis ſegetes urgere venenis ;
Expertas ultro tradam non invidus artes.
Nuper enim cùm dira fames invaderet urbes ;
Jamque (nefas) vitæ mallent præſentibus uti
Auxiliis , fidæ quàm credere ſemina terræ ,
Venturumque adeò curas extendere in annum ;
Cautior ipſe locos adii , quibus arte recenti
Conficitur pyrius caſtrorum pulvis in uſus ;
Et nitrum ſal inde tuli : ſatiataque pingui
Flumina deinde fimo tetris haurire cloacis
Non puduit , craſſoque humore reſolvere nitrum ;
Turgidaque infuſo medicari ſemina potu.
Inde ſolo mittens , iterumque iterumque Colonum

Admonui ſolito ferret ne more, manumque
Sic premeret ſpargens, ut quod dare ſueverat uni,
Quatuor auderet partiri in jugera ſemen.
Muſſitet ille licèt, taciroque obmurmuret ore,
Objiciens ſecum: parcè qui ſeminat, idem
Parciùs & metet: ancipiti formidine preſſus
Obſequitur tamen; & non intellecta faceſſens
Juſſa, per ingentes ſpargit rariſſima campos
Semina: nec fallax luſit ſpem meſſis inanem;
Latiùs in plures ſed ab uno germine culmos
Luxurians, texit ſulcos ita denſa feraces,
Villicus inventæ diffiſus ut artis, opimas
Dein ſegetes inhians, demiraretur egenis
Quantùm rebus adeſt doctæ ſolertia mentis.

Pòſt ubì disjunxit Tauros, ſemente peractâ,
Ceſſatura diu ſuſpendat aratra Bubulcus;
Et reſides (hyberna gregi ne paſcua deſint)
Injuſſo patiatur agros revireſcere fœtu.

Interea tu dum terræ, tibi terra viciſſim
Dat requiem, non pigra domi tamen otia duces:
Evictos ſenio lucos invade ſecuri:
Depoſitiſque comis ubì Vinea terruit ægros
Nuda Senes, fluxæque tulit non irrita vitæ
Omina; tunc ferro ſarmenta fluentia cædes;
Dum tepidi fulgent ſoles, tentetur iniquâ
Ne glacie ventiſque, recens à vulnere Vitis.

Peracto ſemente cædun- tur ligna. Putantur Vites.

Prima quoque Autumni ſub frigora conſere fœtus
Arboreos; ſeu glande ſatas educere ſylvas,
Seu longo mavis Ulmos deponere tractu,
Vel ſcrobibus mandare Pyros, Hyemique rigenti
Credere felices alieno germine Pomos.
Tunc & Olivetum juvat inſtituiſſe, priuſquam
Sæviat hyberno Boreas bacchatus ab Arcto.

Seruntur Arbores.

Sed neque plena tamen piger ad præſepia Taurus

Stabit ; in herboſo vel gramine feſtus oberrans
Triſte jugi dediſcet onus ; ſed in oppida vinum
Triticeaſque vehet ſegetes , dum nubila pendent ;
Roboreis necdum tellus madet invia plauſtris.

Vehuntur in urbem frumenta vinũ & Villicus in hyemem providet rebus neceſſariis

Ruſticus intereà pluvias hyememque nivalem
Antevenit : plano cavat altiùs æquore foſſas :
Invalidos ad plauſtra Boves ducenda macello
Deſtinat , & pingui curat laxare ſaginâ.
Vendit Oves ſenio fractas , gregibuſque futuras
Præſidio Salices & glaucam tondet Olivam.
Ac veluti cuſtos urbis (cùm proximus armis
Intonat infeſtis Mavors) urbana reponit
Ruris opes ſub tecta ; fame ne victus inerti
Cedat , & integris admittat mœnibus hoſtem.
Non aliter cùm triſtis hyems Aquilonibus atris
Mugiet , & niveis teget arva rigentia floccis
Villicus ignavæ nil curat frigora Brumæ ,
Obſeſſumque ſolum nivibus : bona copia triti
Faris adeſt : ſua ſunt ſaturis fœnilia Tauris ,
Atque ſuæ gregibus paleæ , frondeſque Salicti :
Cædua ſunt & ligna foco , promptique labores ,
Queis hyeme ad largum ſervos exerceat ignem.

Cibariis providet Villica.

Provida conſuluit parcis quoque Villica menſis :
Preſſit enim calathis paſſos de Vite racemos ;
Molliit & dulci ſaturata Cydonia melle ;
Muſtaque decoxit lentis ſpumantia flammis :
Condiit & virides Oleas , & ſalgama vaſis
Indita fictilibus ; neque preſſi copia lactis
Nec teretes napi nec poma fragrantia deſunt ,
Caſtaneæque nuces , tumidoque cucurbita ventre :
Et jam flavus Anas , adipi jam pinguior Anſer
Innatat ipſe ſuo , clauſiſque reconditur ollis ,
Antè levi ſale conſperſus : jam , maxima menſæ
Gaudia , fumoſis hærent immania muris

Terga

Terga Suum, ſiccique pedes, & viſcera tritis
Farta cibis; longo quæ torta volumine, fumus
Explorat ſuſpenſa focis; ut ad ultima Brumæ
Frigora, & ad ſeros durent ſincera calores.
Illas inter opes ventos impune furentes
Accipiunt, Boreaque famem ſtimulante, Coloni
Divitiis totâ partis æſtate fruuntur;
Parvaque curantes hilari convivia Baccho,
Stramineo lætos agitant ſub tegmine ſoles;
Sit licèt hyberni facies triſtiſſima Cæli.
Horret enim canis tellus hirſuta capillis: *Hyems.*
Prataque & indecores ventis glacialibus horti
Triſtè rigent; ſylvis Aquilo pallentibus inſtat
Acrior; & capitis poſtquam decuſſit honorem
Arboribus, gelido calvas exſibilat ore.
Stant clauſi tectis homines: deſerta Colonis
Terra ſilet, ſylviſque latent ſine voce Volucres;
Ipſeque Sol alibi blandâ regione moratus,
Tardiùs exoritur: mox pallida nubis amictu
Ora tegit, vel ſi puro nitet aëre triſtes
Obliquis terras oculis tranſverſa tuetur,
Et currum gyro breviore fugacior urget.
Solvitur in pluvias Cælum: ſtagnantia latè
Rura natant; pigriſque ſeges latet obruta lymphis;
Aut nivibus quas ſparſit Hyems. Color unus & una
Telluris facies: montana cacumina veſtit,
Et lapſa pro fronde tegit nix pendula ſylvas.
Pondere tecta labant; terrâque latente Viator
Errat; & in foveam lapſus, nive naufragus altâ
Mergitur, aut planum credens decurrere campum,
Flumina vincta gelu pedibus proculcat Equinis.
Indignentur onus montes; Auſtrumque morantem *Nix agros fœcundat.*
Auxilio juga cana vocent; nive pinguior almâ
Luxuriat, ſpiciſque ſeges gravioribus horret;

Algida quò fœtis nix longiùs incubat agris,
Deſuper & plures durans aſſurgit in ulnas.
Orta Ceres niveo ſeu defendatur amictu
Duram hyemem contra, nivium ſeu pondere preſſa;
Nec potis æthereas aſſurgere meſſis in auras,
Altiùs immiſsâ tendat radice tepentis
In gremium terræ, quo pinguia pabula ducat;
Latiùs & fruticet; Zephiriſque vocantibus olim
Pluribus in frugem creſcat ſeges herbida culmis.
Sive ſales ſecum nix advehit æthere toto
Collectos; quos deinde, Noto reſoluta madenti,
Pinguibus immiſcet glebis; & ſtercoris inſtar,
Cruda coquit ſalibus mixtis alimenta; viaſque
Laxat; ut uberior ſtirpes ſe ſuccus in imas
Inſinuans, totam revolubilis irriget herbam.

HYBERNI LABORES RURIS.

Interea pigro dum frigore ſegnis ad ignem
Civis in urbe riget, generoſo exercita ferro
Rura fatigantes, operum ſudore caleſcant
Agricolæ: ſi terra gelu durata ligones
Abdicat, annoſas ſylvis evertere Quercus
Frigora nulla vetant, ſaxoſaque viſcera montis
Eruere, & plauſtro lapides vectare gementi,
Horrenteſque rubos totis excindere campis.
Tunc & lenta Salix, & cædua Sylva bipenni
Dejicitur: truncos & brachia cæſa Juvenci
Contentâ cervice trahunt; glaciemque terentes
Sub pedibus, calidas evolvunt naribus auras,
Fumoſoſque Boves fumoſus & ipſe Bubulcus
Ponè ſequens, craſſo frigus defendit amictu,
Rugoſoque manus alternas admovet ori,
Vivificum captans animâ ſpirante teporem.
Olli rore madet cum veſtibus horrida barba,
Et coma concretis incanuit hirta pruinis:
Raucaque vox mento vix eluctata trementi

Jam non terrificat junctos ad plauſtra Juvencos.
Paſtor Oves curat ſtabulis; pecoriſque miſertus
Tædia longa ſui (blandâ ſi fortè ſerenat
Hybernum Sol luce Polum) recludit ovile;
Grex ut in aprico ſpatiatus colle, latentem
Sub nive rimetur pedibus frigentibus herbam;
Paſcua nec clauſus querulâ dein voce repoſcat,
Cùm ſemel horrentes glacie conſpexerit agros,
Et rigidas tremulis perceperit artubus auras.
Agricolam ſi quando domi tenet imber; adactis
Robora vel findit cuneis; vel aratra, jugumque,
Et ſtivas ferro dolat; obtuſoſque ligones
Et raſtros incude novans, agreſtia Veri
Arma laborifero jam tum proviſa reponit:
Nec vacuas operum noctes traducit, inerti
Tempora longa trahens ſomno: ſed vimine corbes
Conficit, aut virgis crates; Vitique caducæ
Exacuit vallos: ipſas quoque Palladis artes
Exercere viros, nocturnaque carpere penſa
Non pudet, & craſſum fuſo devolvere linum:
Theſtilis in faciem quanquam permulta jocetur;
Accingique virûm lateri ſua rideat arma;
Mutatiſque miniſteriis velit ipſa viciſſim
Et Tauros regere, & currus agitare jugales.
Fert alias glacialis hyems tibi Villice curas:
Stringenti coit unda gelu; gravibuſque rigentes
Stridula plauſtra rotis ſulcant impune lacunas.
Algidus ignavo ſtat frigore rivus; & amnis
Ad pelagus tectas volvit ſine murmure lymphas.
Ergo nives glaciemque, quibus ferventia quondam
Pocula reſtinguant, terris occlude ſub altis.
Quique novas Hyemi fruges Æſtate recondis,
Æſtivis Brumæ pœnas ſervire jubeto
Deliciis; ut Sole ſitim referente, gelata

DOMESTICUS LABOR PLUVIO TEMPORE.

VESPERTINI LABORES.

GLACIES ÆSTATI REPONENDA.

Reſtituat tepidis aqua frigus amabile lymphis.
Sed ne depereat primis labor irritus Auſtris;
Antè locum cape, qui conos imitetur; & imbrem
Derivet pluvium; ne, ſi penetraverit intus,
In fluidos glaciem doceat tabeſcere rivos.
Altiùs effodies terras; & ſaxea circùm
Mœnia molitus, camerato fornice Solem
Defendes; poſitâque ſuper tellure, cavatum
Obcæcabis iter latus ad boreale; nec uno
Limine contentus, ſolido tres robore portas
Conſtitues; ut cùm nivibus loca plena coactis
Matutinus adis, rupem cæſurus aquoſam,
Non ſubeat tecum madidis Notus igneus alis.
Hæc ubi facta; gelu terras dum Bruma rigentes
Aſperat, & ventis frænat borealibus undas;
Ad fluvios & ſtagna manus adhibeto: bipennem
Ingemina: ferro glacies ſonet icta; novoque
Tegmine nudentur fluctus; uncoque natantes
Hinc illinc depreſſa trahens ad littora cruſtas,
Stridentes onera currus; & grandia lymphæ
Fragmina duratæ repetitis ictibus, ipſas
Ante fores, nivis in morem tenuare memento,
Pulvereamque iterum glaciem quatere intus; in unam
Ut coëat maſſam ventis adſtricta Boreis.
Mitis ubi decedit Hyems; ſi frigore nondum
Conſtitit unda; nives ſpatioſa per arva volutas
Impiger agglomera; foſſiſque immitte paratis,
Proculcans gravibus ſoleis, & robore tundens;
In ſolidam donec jubeas coaleſcere molem.
Proderit egelido puros è fonte liquores
Injicere, & lymphis gravioribus aëra ſurſum
Trudere: ſi quid enim latitaverit aëris inter
Algida congeſtæ glaciei fragmina, ventos
Audiet æſtivos; & iniquis proditor Auſtris

Se ſocium adjungens adjutoremque malorum ;
Vertet in obſcœnam nivibus loca fœta cloacam.
Munera qui duræ legitis glacialia Brumæ ,
Quærite quæ nullo ſint turbida flumina cœno ,
Vel puras à ſorde nives ; ut deinde Colonis
Fracta ſecuriferis glacies in vitrea torno
Pocula fingatur ; quibus ignifer ipſe Lyæus
Algeat infuſus cyathis ; unoque bibantur
Et calices ipſi vinumque meracius hauſtu.
Hæc ſunt quæ gelidi per inertia frigora paſſim
Exercent opera Agricolæ : tu dives ariſtis
Sera ſub extremos , Arvernia, demetis æſtus ;
Et lectas raptim ſegetes ſub tecta reponis ,
Inſtanti ſemente : gelu cum deinde rigentes
Stringit Hyems terras ; eadem intra tecta flagellis
Excutis , & nitidas tua mittis in horrea fruges ;
Extricaſque Nuces reſoluto cortice fractas ;
Pumiceoque terens ſaxo , præloque madenti
Subjiciens , oleum ferventibus elicis undis.
Nos tepidas ſortiti Hyemes Auſtralis ad oram
Oceani , prolem colimus felicis Olivæ ;
Segnia per totam neque novimus otia Brumam.
Ubere nam dives fœtu cùm Palladis arbor
Brachia jam curvat nigros induta colores ;
Longa fatiſcentes excuſſis pertica baccis
Exonerat ramos ; tenſæque ſub arbore telæ
Excipiunt Oleas , baculo pulſante , caducas.
Quanquam hyberna dies nox urgeat , atque labores
Præcipitet , non antè tamen ſtringentur Olivæ ,
Quàm gelidum Phœbus deterſerit arbore rorem ;
Nocturnoque rigens à frigore ramus , amicis
Lenteſcat Phœbi radiis ; nec fiſſilis ictu
Diſſiliat , frangi patiens , ſed cedere plagis
Neſcius ; egelidæ niſi molliat aura diei.

Hyberni labores in regionibus frigidis.

In tepidioribus OLIVITAS.

Frigora dum patitur glacialia rure Colonus ;
Excutiens ramos Oleæ ; ne tecta focumque
Villica ſegnis amet , grandi ſed & ipſa gelatas
Corbe manus armata , legat quas pertica longè
Diſſipat , & ſparſas hinc illinc jactat Olivas.

Olei confectura. A foliis ſero purgantur veſpere baccæ ,
Delatæque domum tritæque molaribus , ultro
Exudant , quem virgineum dixere , liquorem.
Nec mora preſſandis Oleis gens horrida cultu
Proſilit : undanti pars ligna miniſtrat aheno ,
Pars cophinis Baccas , calidam pars ingerit undam :
Pars fumoſa refert plenos ſub præla caniſtros ,
Quos ſtruit in muri faciem : dein impete facto
Conjunctas adhibent ad torcularia vires ;
Et manibus primùm , laterum dein pulſibus inſtant
Unà omnes ; querulis dum congemat ictibus arbor
Utraque , tranſverſum quæ ſubſtinet ardua prælum.

Aureus interea liquor effluit undique rivis ,
Quem conchâ levis excipiet capulator ahenâ ;
Torquendæ dum nigra cohors operata Minervæ
Pauperibus vires epulis recreabit , & ipsâ
Caulibus è cupa non parcum inſperget Olivum.
Non ſatis eſt preſſiſſe ſemel : bis terque quaterque
Inſtaurant opus , & pinguem de fæce liquorem
Eliciunt iterum atque iterum , laticeſque reponunt
Uſquè novos : oleo quæ ſubjacet unda natanti ,
Haud procul hinc in labra fluit , prunifque tepeſcit
Appoſitis , ut & ipſa quies atque ignis aquoſos
Expediant nexus , Oleumque tepore reſolvant.

Palladius quem tangit honos , olearia tergat
Vaſa manu ; teſtaſque bibax exſiccet olentes
Spongia : ne fundo quæ fæx ſubſederit imo
Nativum inficiat veteri rancore ſaporem.

Sed quæ vana cano vobis præcepta Coloni !

Heu patriæ telluris opes! heu grandia Divûm
Munera! felices Oleæ, dum vita manebat,
Quæ veſtris inimica lues decuſſit honorem
Frondibus? & truncos poſt ſecula victa verendos
Jam ſenio, paucis mors abſtulit atra diebus?
O Blitera! ô Divûm ſedes! quis ſqualor amœnis
Arboribus quondam veſtitos obſidet agros?
Stant equidem campis Oleæ; ſed morte recenti
Horrent indecores; noſtrumque ut viſa dolorem
Acriùs extimulent, ſtant fixa cadavera terris,
Quo periere ſitu: ſtat iners ſine cortice truncus:
Defluxere comæ capiti; nudataque Cælo
Brachia tolluntur, non placatura Tonantem,
Qui deſolatos videt immiſerabilis agros:
Nec movet hunc, functâ quæ ſubter matre renaſcens;
Progenies imbellis adhuc, caſuque parentis
Triſtior emergit, tantæ ſpes ſera ruinæ.

(Ubi de Hyeme rigidiſſima anni 1709 & de olearum interitu.)

Audiat hæc, dictiſque fidem ne fera recuſet
Poſteritas; & ſi qua premant adverſa Nepotes,
Hac diſcant à clade ſuos compeſcere luctus.

Feſta dies aderat priſco ſanctiſſima ritu,
Quæ Chriſti cunas & inops præſepe quotannis
Nobilitat Regum donis, & ſupplice cultu:
Nos affuſi aris, ſacro dum thure litamus;
Atque Deo genitore ſatum, matriſque prementem
Ubera, dum Chriſtum colimus, meliora precantes;
Forſitan heu! animis non utiliora ſuperbis;
Sarmaticis Aquilo nobis invectus ab oris,
Sithonias ſecum glacies, & acuta Getarum
Frigora convectans, glacialibus evolat alis;
Et cælum terraſque gelu conſtringit inertes.
Intremuere viri; totaſque ardentibus Ulmos
Advolvêre focis; poſitoque labore, ſuâ ſe
Quiſque domo ſepſit, largo vix igne trementes

Frigore defendens multis ſub pellibus artus.
Palluit ægra ſeges, ſulciſque rigentibus acri
Decubuit moritura gelu; ſylvaſque per altas
Inſonuit magno Quercus diſciſſa fragore.
Diſſiluere jugis, & quæ duriſſima ſenſu
Hac caruere tenus, frigus penetrabile ſaxa
Per medias ſenſere nives; ſenſere ſub altis
Gurgitibus Boream fluvii; frænique moræque
Impatiens Rhodanus gelidis conſiſtere ripis
Juſſus, & ignoto ſua jungere littora ponte,
Subſtinuit tergo ferratos pervius orbes.
Ipſum etiam in cellis ſub opaco fornice Bacchum
Aſpera vincit hyems; & ſtantia vina ſecuri
Cæduntur; neque jam liquido ſitientia potu
Ora rigant; ſed dente, cibos imitata, teruntur.

Torpentes aër Avibus non æquior alas
Illigat; & rigidæ, timidiſſima turba, columbæ
Hoſpitium querulo gemitu petiere; cibique
Et famis immemores, poſitâ formidine, noſtris
Acceſſere focis: quæ mox exempla ſecutæ
Perdices Turdique, fidem violataque jura
Ingemuere, manu capti: ſubit ipſe penates
Oblitâ feritate Lupus; nemorumque relictis
Hoſpitiis, fugêre vagi per compita Cervi.
Communes habuere caſas pecudeſque virique;
Nec potuere tamen ſævum defendere frigus.
Lanigeræ non vellus Ovi, non ſeta Capellis
Profuit, aut forti pellis duriſſima Tauro.

In ſtabulis periere greges; periere Ferarum
Per ſylvas armenta; vagæ periere Volucres:
Quos & opum veſana fames decedere tectis
Impulit, & rigido ſeſe committere Cælo,
Occubuere viri, aut pedibus vixere minores:
Auxilium neque enim præſentius horrida paſſis

Frigora, quàm ferro ſævire ſalubriter; îmos
Cædendo, quos acre gelu nodaverat, artus.
Perſtitit hæc Hyemis ſolidum vis improba menſem.
Intermiſſa virûm commercia; rure labores
Ceſſarunt & jura foro: ſacra ipſa quierunt:
Nam neque fas illis vinum libare diebus.
Non miror potuiſſe morâ dureſcere dios
In glaciem latices, licèt additus ignis ad aras;
Si tepido de fonte, cavis qui flumina palmis
Hauſerat, admovit labris ſitientibus amnem
Frigore concretum; projectaque lympha per auras
Inſonuit terris, lapidoſæ grandinis ictu.
Diffugêre nives tandem; vincliſque ſolutis
Deſeruere toros fluvii; dorſoque rigenti
Portarunt gelidas, onus intractabile, moles.
Fluctuat, & pontes ruit inſula vitrea, ſecum
Obvia quæque trahens, pelagoque licentior errans,
Fert ratibus Nautiſque novos infracta timores.
Aſpera ponit Hyems; & cùm jam Thracius ultrà
Nil habuit Boreas, gelidâ quod perderet aurâ,
Vaſtatis exceſſit agris; ventoſque tepentes
Africus inducens, terraſque domoſque recluſit.
Sed velut ancipitis cùm nox certamina Martis
Solvit; & affulget terris lux poſtera; cladis
Neſcius ipſe ſuæ, merſum Dux ſanguine campum
Luſtrat Equo; cæſaſque acies, & morte peremptos,
Quos metuit reperire, viros & funera quærit.
Sic timuere pedes tectis efferre Coloni,
Et ſegetes ſpectare ſuas, Oleaſque caducis
Nudatas foliis: trepidi formidine pigros
Increpuere Notos; dubiæ qui certa ruinæ
Signa ferant, miſeris ſolatia triſtia rebus.
Quis dolor heu! luctuſque fuit! quæ cura futuri!
Extremo jam Vere, fides cùm certa malorum:

Cùm neque vaſtatis ſeges ulla repullulat agris;
Alta nec in ſylvis Quercus revireſcit; ademptas
Nec reparant Oleæ frondes; nec Vinea trudit
Germina; nec flores Nux induit ulla renatos.
Horret aduſta ſeges glacie; pallorque rigentes
Qui deformat agros, idem notat ora colentum.
Numine Mortales diſcant in vindice patrem
Placari facilem. Rigidæ vis horrida Brumæ
Quæ popularat agros, eadem genitabile terris
Indiderat robur: nova ſemina rurſus abactam
Poſt hyemem quanvis alieno tempore ſulcis
Obruta ſint, tamen Agricolæ non irrita fallunt
Vota pii: ſeges æſtivo properata calore
Pene ſimul creſcit, floret, fœtuque gravatur.
Non Oleæ non Vitis erat reparabile damnum:
Utraque perſtat humi ſiccis demortua ramis.
Quid ſteriles dubitatis adhuc excidere truncos:
Hic labor, hæc maneat lacrymoſos cura Colonos;
Quas Hyeme uberibus ſpoliabant fructibus, illas
Nunc ferro totis Oleas evertere campis.

VITIS PROPAGO.

Aprico defenſa loco, ſi Vinea tantis
Indejecta malis ſteterit; vaſtoque ſuperſit
Ex obitu vivax hinc illinc truncus; ab uno
Stipite ducantur, ſcrobibus demerſa, vacantes
Ad palos ſarmenta: parens alimenta tenellæ
Pinguia tranſmittet ſoboli; totumque per annum
Hanc adeò gravidæque novas propaginis uvas
Nutriet: exacto quo tempore, ſumma flagelli
Curvatura levi reſecetur falce; ſuâque
Paulatim radice trahant plantaria ſuccum;
Materno dum bima ſinu tollantur; & almâ
Vite cadens palmes penitus tellure prematur.
Extremæ ſub finem Hyemis, cùm juncta piorum
Agmina Chriſtiadum fletu precibuſque minaces

Extremæ hyemis labores.

Numinis expugnant iras ; animumque dolore ,
Et ſceleris ſocium pœnâ quoque vindice corpus
Excruciant , levibuſque cibis jejunia paſcunt ;
Tempus erit duras Tauris aperire Novales ;
Effodere , & ſpinâ Vites ſepire rigenti ,
Vel luteos humili muros componere formâ ,
Et procùl infeſtas gemmis arcere Capellas.
Tunc etiam longis , anni ſpes altera , ſulcis
Obruitur Milium , calidâ quod pulte Colonos
Suſtineat : tenui Lentes , & edacia pingui
Cannaba dantur humo : tunc opportuna Fabarum
Et Ciceris ſatio : tunc & juvat Hordea terris ,
Arboreaſque iterum ſcrobibus deponere plantas.

Feſtinate viri : neque enim ceſſare Colonos
Naturæ novus in partum ſinit impetus : agros
Aſſiduâ verſate manu : date ſemina terris :
Fronde levate nemus ; vanumque recidite luxum ;
Et teneris jam tum ramis imponite morem.
Nam neque relligio , nec quadraginta dierum
(Ritibus addixit pietas quos publica ſacris)
Jura vetant terræ curas adhibere colendæ.
Nos inopi tunc longa domant jejunia victu.
Hæc quoque ſit vobis pœnæ pars magna , labores

Festi Paschalis celebratio.

Suſtinuiſſe graves. At ubi celebranda recurrent
Paſchata ; terrenas ultro deponite curas ,
Cælorum memores : animus , pars optima noſtri ,
Hanc ſaltem longi partem ſibi vindicet anni.
Ut ſegetem gravis herba premit ; virgultaque tonſas
Deformant malenata Pyros ; ut agreſtia longus
Inquinat arma ſitus : pejora ſequentibus inſtat
Sic animis purganda lues , atque inſita rectis
Moribus improbitas , redivivaque ſemina labis
Illius , unde ſeges nova pullulat uſque malorum.
Si pietas , ſi ſenſus ineſt ; abſtergere fletu

Ne pigeat maculas, fuſo quas ſanguine Chriſtus
Abluit; & flammis non devoveamus Avernis,
Quam ſuperis animam moriens Deus aſſerit oris.
Sacros ergo dies pius aras ante, ſilenti
Curarum ſtrepitu, ſub pectore Ruſticus alto
Præteritæ noxas vitæ labeſque revolvens,
Excutiat ſeſe, ſcelerumque redarguat intus;
Exoneretque gravi confeſſam pondere mentem,
Auribus & tutis ultro, quæcumque remordent,
Deponat peccata, dolens, & crimen acerbans
Ipſe ſuum: dextrâ quatiat tum pectus iniquum,
Suppliciter triſtis; veniamque exoret amaris
Cum lacrymis; atque hanc dederit ſi rite Sacerdos;
Nil dubitet ſacris purum ſe ſiſtere menſis,
Præſentemque Deum veſci ſub imagine panis
Excipiat Chriſtum, non immemor hoſpite tanto
Muneribuſque frui, & divinæ Numinis auræ
Explicitos aperire ſinus, nec parcere votis.
Has epulas celebrate viri quâ luce, Ferarum
Antiqua pro cæde, litans ſe victima Chriſtus
Inſtituit ſacras morti jam proximus eſcas.
Hæc in honore dies: ritus ſervate vetuſtos
Agricolæ; precibuſque ſacram producite noctem,
Numen adorantes templis tunc omnibus aſtans.
Quò vos ſæpe vocant leviora negotia, feſtam
Suadeat & pietas natis comitantibus urbem
Viſere: Rhedarum ſtrepitu non illa ſonoro
Fervet, at effuſæ plebis Procerumque ſilenti
Agmine; nec capiunt rutilis ardentia flammis
Templa viros: pia proh! quantùm laudaret Agreſtis
Oppida, ſi toto non cerneret ampliùs anno.
Poſtera lux, diro Chriſti cum funere, luctum
Triſtitiamque refert: nigros induta colores
Templa ſilent, nullus ſacris honor additur aris,
Nec

Nec facibus pinguique calent altaria thure :
Jamque movent pavidas tenebroſa ſilentia mentes ,
Cùm ſubitò Crucis oſtentans venerabile lignum
Et pullâ lugubrè canens in veſte Sacerdos
Prodit , & oſtensâ morientis imagine Chriſti :
En , ait , inſonti noſtras qui ſanguine culpas
Eluit , expendens pœnas & debita nobis
Supplicia : en duræ quondam Crux hoſpita mortis ,
Nunc ſpes certa virûm : ſacro procumbite ligno ,
Quo mundi ſtetit empta ſalus. Hæc pauca profatus ,
Depoſitâ Cruce , ſummiſſis prior ipſe Sacerdos
Procumbit genibus , ſacroque dat oſcula ligno.
Poplite tum ſequitur flexo plebs tota , manuſque
Transfixoſque pedes clavis , & pectus apertum ,
Sacraque profuſo fletu rigat ora , ſuiſque
Objicit hanc vitiis mortem , nec obire viciſſim
Abnegat, antè novo maleſanam crimine mentem
Quàm ſceleret , tantoſque Dei fruſtretur amores.
Promiſſam ſervate fidem ; nullique , redemptam
Hoc pretio , poſthac animam ſubmittite culpæ.
Non habitanda diu tellus : æterna beatos
Regna manent ; longoque manus à ſole rubentes
Sceptra regent ; & quos nunc importuna fatigat
Pauperies , major votis à morte ſequetur
Copia , cùm lûteas Cælo mutabitis ædes.
Chriſtus enim , rediens ad vitæ munia , clauſas
Per noſtrum ſcelus , ecce fores perumpit Olympi ,
Et ſecum eductas , tenebroſo victor ab Orco ,
Æthereis animas , noſtrum genus , invehit oris.
Nos quoque Cælituum felicibus inſeret olim
Conciliis ; vitam interea tueamur egentem ,
Sperantes meliora : vocant en mollia rurſum
Arva manus : palo ſuſpenſa reſumite fortes
Arma viri , meritaſque Deo perſolvite grates ,

Qui noſtrum bonus exilium ſolatur agrorum
Muneribus, curas addens operumque labores,
Triſtia ne vacuæ capiant nos tædia vitæ

pag. 271.

IX. Lib.



PRÆDII RUSTICI

LIBER IX.

Olus.

PURPUREIS alii redolentes floribus hortos
Principibus cecinere viris ; ego ruſtica tractans
Prædia , divino quondam meditata Maroni ,
Tenuia difficili complectar Oluſcula verſu.
Lamoniana ſuos flectens per tempora flores ,
Jam tulit hortorum primos Rapinus honores.
Tu quem Lamonius Regi populiſque reliquit
Nominis hæredem meritique , virentibus hortis
Adde novum decus, atq;(1)Apii cum(2)Bacchare tortis
Frondibus , agreſtem capiti patiare coronam.
[illegible]tas mollemque Roſam & ſacrata Parenti
Si ip[illegible] humi naſcentia (4) Fraga
Lilia, (3) Lactucas [illegible]

(1) *Perſil.* (2) *Gans-notre-dame* , herbe odoriferente que les anciens mettoient dans leurs couronnes. (3) *Laituë.* (4) *Fraiſe.*

Deſpicies : at ineſt oleri ſua cuique voluptas ;
Et placet ipſa ſibi rerum Natura creatrix ,
Seu picto formoſa novos in flore colores
Miſcuit , hortenſes ſeu protulit utilis herbas.
HORTI POSITIO. Delicias & ruris opes qui præparat hortum ,
Arva domo vicina colat : ſit commodus aër ,
Pinguis humus , faciliſque : ſimo telluris iniquæ
Corrigitur vitium , ſed inemendabile Cælum eſt.
Prona per areolas aqua derivabitur omnes ;
Nec Boreas affliget olus , ſi colle ſub alto
Molliter ad tepidos ager inclinabitur Auſtros.
Nuda ſit arboribus tellus : vernantibus herbis
Una laborantis non officit umbra Coloni.
Maturas æſtiva procul terat area fruges ;
Infeſtas oleri paleas ne ventus in hortum
Deferat , & moto conſpergat pulvere plantas.
Ne pigra vicinis fœdas imitata paludes
Torpeat unda locis ; inimica nitentibus herbis
Stagna caleſcenti generant animalia limo.
AQUA. Si vectigales amnis devexerit undas ;
Seque , loci mirâ captus dulcedine , plures
Dividat in rivos , totoque perambulet horto ;
Solve memor Superis tanto pro munere grates.
At ſi nec medio fons obſtrepit ullus in horto ,
Nec procul hinc aliis venit advena rivus ab oris ;
PUTEUS. Quod ſupereſt Olitor terræ cava viſcera ferro
Tentet , & uberibus circumpluet undique guttis ;
Ac Mulo verſante rotas per mutua nexas ,
Non labor eſt imo latices educere fundo.
Ne gravior foſſorum animas extorqueat aër ;
Accendant pingues opera inter iniqua lucernas ,
Et vitæ metuant , cùm peſtifer halitus ignem
Protinus extinguit : directas undique circùm
Ad latera objiciant tabulas ; quas lignea vectis

Suſtineat tranſverſa ; ſolo concluſa ruenti
Corpora ne triſti donentur viva ſepulchro.
Qui fodiunt puteos ſicciſſima tempora quærant :
Cùm madet imbre ſolum , fallacibus omnia lymphis
Rura natant : dubios Æſtas probat arida fontes :
Si maneant, inopem neque Sirius hauſerit undam,
Nil tardes muro puteum veſtire perennem ;
Mordaci ſenſim tellus exeſa liquore
Ne labet , & ſubitam faciat mollita ruinam.

HORTI SEPIMENTUM.

Quid mage conveniat vel circumducere murum ,
Claudere ſtructilibus , vivis vel ſepibus hortos
Tecum mente agita : ſepes armenta , rapacem
Et populum , ſed non hyemes avertit iniquas ,
Nec radice parum propioribus officit herbis.
Utilior contrà paries , ſeu quòd minùs agri
Occupet , & teneris defendat frigora plantis ;
Sive quòd in plures duret reparabilis annos.

AREÆ INFORMANDÆ.

His ubi proviſum fuerit , tum vertere terram
Præcipio , multoque rudem deſcribere campum
Tramite , quà rivum ſulcos partitus in omnes
Ducat , & areolas dextrâ lævâque Colonus
Acceſſu faciles ferro rimetur , & herbâ
Purget Olus , gravibus neque calcet ſemina plantis.

Et cingendæ arbuſculis.

Grandia ſi virides quis in oppida transferat hortos ,
Tonſilibus diſtincta Pyris extrema viarum
Ornet , & hinc illinc longo ferat ordine flores ;
Indecores ne ſe (1) Porri , (2) Cauleſque videntum
Protinus objiciant oculis. Tu ſeria rerum

Herbiſque odoris.

Semper ama , modicaſque vias prætende (3) Thymoque
Et gratis Baccho (4) Cinaris , & (5) Rore-marino.
Humentes quoque mollis amat (6) Satureïa ripas ,

(1) *Porreau.* (2) *Chou.* (3) *Thym.* (4) *Artichau.* (5) *Romarin.* (6) *Sarriette*, plante odoriferente, *bordure.*

(1) Serpillumque ſolo repens, (2) Apiumque Pelaſgæ
Quondam frontis honos, & craſſis (3) Salvia ramis.

Et floribus. Non tamen omnigenis inimicus floribus, illos
Ejicies, quorum facilis cultura, nec uſus
Nullùs erit, quales Violæ, nigrumque Papaver;
Et Roſa ſuppoſito quæ ſi calet igne, caduci
Solamen tibi floris aquam ſtillabit odoram.
Liliaque, & (4) Calthas, & hiantem flore decoro
Narciſſum, (5) Clytienque ſeres; feſtiſque diebus
Serta parans, donis Superos placabis inemptis.
In tenues hominum curas deſcendere gaudent
Cælicolæ, tantùmque boni pietate Coloni,
Quantùm operâ, quantùm largis viget imbribus herba.

Mopſus enim & Coridon hortis cum pinguibus olim
Contiguas habuere domos: magis iſte lacertis,
Ille Deo confiſus, humum ſudoribus iiſdem
Nec fructu coluere pari: ſeu venditor urbem
Mopſus adit, ferro docilem ſeu cultor agellum
Sollicitat, plenis reſpondent omnia votis.
At Coridon inopes vix colligit unde Penates
Sùſtineat, miſeramque trahat cum conjuge vitam.

Æſtus erat, feſtuſque dies; amboque ſub umbra
Gramineis ſedêre toris. O Mopſe beatos
Miror, ait Coridon, uni tibi ſurgere ſoles?
Semina diverſis en ut communia fatis
Conſurgant? atqui non ingenioſiùs alter
Excolit, aut lymphis juvat uberioribus herbas.
Mopſus ad hæc, Alia, ô Coridon, ſed cognita paucis
Te quoque cura latet Superos in vota vocandi:
Inſontes cum voce manus fer ad aſtra, priuſquam
Admoveas operi, fortunataſque videbis
Intus ali, & ſucco meliore tumeſcere plantas.

(1) *Serpolet* (2) *Perſil.* (3) *Sauge.* (4) *Soucy.*
(5) *Tourneſol* ou *Heliotrope.*

Obſequitur monitis Coridon ; nec vana precandi
Relligio : redeunt animæ languentibus herbis ,
Fœcundoſque ſinus laxans , ſe meſſe coronat
Uberiore pias humus emendata per artes.

Ruſticus ancipites hyberna per otia marras ;
Ferratamque paret cratem , duroſque ligones ,
Capreoloſque , quibus glebas exerceat armis.
Tum quoque vicino quærat ſibi ſemina rure ,
Et varios Oleris generatim ediſcere cultus
Non pigeat : neque enim plantis ager omnibus unus ,
Non eadem cultura placet , tempuſque ſerendi.

INSTRUMENTUM OLITORIUM.

Pars amat æſtivos ſoles , pars frigus , & Euri
Aſpernata minas , illæſæ frondis honorem
Per medias hyemes ſervat ; pars condita terris
Non ſurſum prodire pigris radicibus audet ,
Torpentes non antè comas evolvere Cælo ,
Quàm reducem audierit Prognem, Zephiroſq; vocantes.

VARIA OLERUM CULTURA.

Sæpe ſua pubens Olus ab radice revulſum
Mutatis adoleſcit agris ; & mater eodem
Sæpe ſinu tellus quo parturit , educat herbas.
Sunt aliæ ſemel exciſis quæ frondibus arent ,
Demeſsâque comâ ſtat truncus inutilis agro.
Sunt quibus uſquè redit nova frons, multâque Colonum
Meſſe beant. Molli nunc figit oluſcula terræ
Intactis Olitor foliis ; nunc fronde reſectâ ,
Succus ut uberior ſtirpem cogatur ad imam ,
Mandat agris. Plantas unâ ratione nec omnes
Evocat in ſemen , generique immittit habendo.

Præterea genus haud unum (1) Betæque rubenti ,
(2) Candidulæque : ſuas menſis alit altera frondes ,
Altera radicem ; genitalibus utraque ſulcis
Danda , coronato cùm vertice (3) Punica malus

VARIA SPECIES *Betæ.*

(1) *Bete-rave.* (2) *Poirée.* (3) *Grenadier.*

Prodiit, & roſeo procul emicat ignea flore.

Lactucæ. Nec tibi (1) Lactucæ faciem naſcentur in unam.
(2) Altera quæ Cochleas foliis imitatur, aquoſam
Fert hyemem: (3) medium per ſe caput altera plexis
Frondibus involvet, ſolidumque tumebit in orbem
(4) Dentatas criſpata comas; hæc Vere tepenti
Naſcitur; æſtivos tolerat (5) Romana calores.
Sunt etiam (6) Napi teretes, (7) Raphanique, ſativus
Et rudis (8) Aſparagus, capitatum & ſectile (9) Porrum,

Cucurbitæ. (10) Longior & (11) patulo viſenda Cucurbita ventre.
Longa ſuper cameras reptat, vel ab arbore fructum
Demittit, docilem pueri quem cortice preſſo
Funiculis cogunt in quaſlibet ire figuras.
Nunc Solis radios fingunt, tortoſque Dracones;
Nunc ſuper inſcriptum gaudent concreſcere nomen:
Dein humeris vacuas aptant, nudique per undam
Flumen inexpertis audent pulſare lacertis.
Scandit in arboreos ventroſa Cucurbita truncos;
Sed tu multiplici per gramina repere flexu
Coge, fatiſcentes rumpat ne pondere ramos.
(12) Tertia quæ brevior, medioque coërcita nodo
Exoritur, Baccho dabit opportuna lagenam,
Quam lateri accingas operumque viæque miniſtram.

Spinachii. Ipſa adeo geminum referunt (13) Spinachia ſexum:
Quem dixere marem, generoſior unus acutum
Proſilit in ſemen; triſti propè pallet amictu
Fœmina, quæ ſteriles effert ſine ſemine frondes.

Braſſicæ. Quid memorem quantâ jactet ſe (14) Braſſica laude,
(15) Sive volubilibus redit in ſe frondibus, orbeſque

(1) *Laituë.* (2) *La coquille*, Laituë. (3) *Laituë pommée.* (4) *La Crepe blonde*, Laituë. (5) *Laituë Romaine.* (6) *Navet.* (7) *Rave* ou *Raifort.* (8) *Aſperge.* (9) *Porreau.* (10) *Courge longue.* (11) *Citroüille.* (12) *Calebaſſe.* (13) *Epinard.* (14) *Chou.* (15) *Chou pommé.*

Orbibus agglomerans, capitis ſub mole laborat;
(1) Tornato ſimiles ebori ſeu candida flores
Ediderit (2) ſeu coniferas imitata Cupreſſos
Seque ſuas plicat in frondes, & acumen in album
Deſinit, ac tenui venit haud ingloria menſæ;
(3) Sive hyeme in mediâ, cùm cætera frigore torpent,
Læta viret; Boreamque trucem, Cauroſque malignos
Deſpiciens, vacuis ultro dominatur in hortis.

Olerum satio autumnalis.

Ut variæ ſpecies oleris, ſic plura ſerendi
Tempora ſunt: putribus mandantur pleraque ſulcis
Cùm pluviis tellus madet autumnalibus, & cùm
Sithonias Hyemes reducis fugat aura Favoni.
Tunc eadem eſt anni facies, & ſæpe ſubortæ
Autumno Violæ falluntur imagine Veris.

Tempeſtiva autem ſatio, ſeu frigore terram
Fermentarit hyems; ſeu coxerit acrior Æſtas.
Utraque vis ſolvit glebas, & inutile gramen
Enecat: inſani quanquam poſt frigora Cauri
Vere ſatas annus clementior excipit herbas.
Bruma tamen licèt uſquè comas affligat aduſtas,
Securam patitur ſtirpem coaleſcere terris,
Et meſſem Cælo dein maturare calenti.

Quare age deciduas cùm nuda ex arbore frondes
Frigidulis volitare vides ludibria ventis,
Inſta operi; longos plano duc æquore ſulcos,
(4) Alliaque in plures ſpicas diviſa, refoſſo
Conde ſolo; fatuumque (5) Blitum (6) Cretaſque marinas,
Et (7) Cinaram, Cinaræque rubras interſere (8) Betas.
Optima tunc etiam ſatio (9) Menthæque virenti,
Et (10) Cunilæ, & (11) Fragis nemorum gaudentibus umbrâ.

(1) *Chou-fleur.* (2) *Chou-friſé.* (3) *Chou vert.* (4) *Ail.* (5) *Blette.* (6) *Crête-marine.* (7) *Artichau.* (8) *Bête-rave.* (9) *Baume*, herbe odoriferente, fourniture de ſalade. (10) *Sarriete*, plante odoriferente. (11) *Fraiſe.*

OLERUM SATIO AUTUMNALIS.

(1)Idæiſque Rubis,(2)Inulæque, (3)Crocoque rubenti,
(4) Fungus, & (5) Aniſum, gratoque (6) Lavendula ſucco
Et (7) Sedum minus, & medicos (8) Hyſſopus in uſus;
Et (9) Siſer, atque (10) Rumex, & inerti grata palato
(11)Intyba,&(12)Atriplices, &(13)Paſtinaca ſerantur,
Atque (14) Cicer telluris edax, dulciſque (15) Locuſta,
Et foliis aſper (16)Raphanus, (17) Condryllaque crure
Lactea, quæque hilares faciunt (18) Naſturtia mentes,
(19) Napuſque & minimo quæ ſemine nata(20)Sinapis
Arboris in faciem ramis frondeſcit opacis.

Vos quoque jejunæ quondam ſolatia menſæ,
Cæſa minutatim & cerealibus abdita cruſtis,
Ante hyemem molles (21) Spinachia pandite frondes.
Et teneris aude (22) Lactecula ſurgere fibris:
Te ſtipulis, cùm frigus erit, te ſtercore multo
Immites hyemis contra tutabimur auras.
(23) Erucas etiam, rectoque (24) Dracontia caule,
Atque (25) Bipinellas, (26) Oximque, brevemque (27) Meliſſam,
Quas oleo, & veteri; cùm Bruma remittet, aceto
Perfundas, tunc tempus erit committere ſulcis.

Noſſe juvat quas ſiccus ager, quas humidus herbas

(1) *Framboiſe*. (2) *Aunée*. (3) *Safran*. (4) *Champignon*. (5) *Anis*. (6) *Lavande*, bordure. (7) *Tripe-Madame*, fourniture de ſalade. (8) *Hyſſope*. (9) *Chervy*, racine potagere. (10) *Eſpece de patience*. (11) *Chicorée blanche*. (12) *Bonne dame ou Arroche*, petite plante annuelle dont on ſe ſert en potage & en farce. (13) *Panais* racine potagere. (14) *Pois chiche*. (15) *Mache* ou *Doucete*. (16) *Rave*. (17) *Eſpece de chicorée ſauvage*. (18) *Creſſon Alenois* ou *Naſturce*, fourniture de ſalade. (19) *Navet*. (20) *Moutarde*. (21) *Epinars*. (22) *Petite Laitue*. (23) *Roquéte*. (24) *Eſtragon*, fourniture de ſalade. (25) *Pimprenelle*. (26) *Alleluya*, fourniture de ſalade. (27) *Meliſſe*, fourniture de ſalade.

Reſpuat, ut toto nullus vacet angulus horto.
Quæ ſteriles fundo tellus imitatur arenas,
Lactucæ, Cicerique favet: Spinachia longam
Non paſſura ſitim, Cauleſque, & olentia iatè
Allia fèlicis gaudent uligine terræ.
Sunt quibus & proſint umbræ; muroſque vel ipſos
Occupat effuſis (1) Anguina Cucurbita ramis.
Et teſtudineo prope murum Vinea dorſo
Flectitur, arcendos circumſita Solis ad æſtus.

OLERI CUIQUE LOCA OPPORTUNISSIMA.

Nudus erit tepidos pariès converſus ad Auſtros,
Optima ſeminibus ſtatio; ſi mollior altâ
Inſtruitur (2) pulvinus humo, qui Vere reducto
Sufficiat pangenda novis plantaria ſulcis:
Murus enim franget Boream, Soliſque reflexi
Quæſitus favor algentes ſolabitur herbas.

Quantùm Oleri prodeſt ager opportunus alendo
Vidit & obſtupuit noſtro qui primus ab orbe
Cantaber auſtrales Americæ ſemen ad oras
Tranſtulerat: (3) Raphanus tener egregiique ſaporis
Corporis humani molem ſuperabat; & Indus
Grandior arboreo poterat vix carpere ſummas
Caule Fabas: onus uva viri pendebat ab Ulmo;
Nec tumidum cervix (4) Peponem nervoſa tuliſſet.

Longa nivalis Hyems & inertibus otia terris
Et pigro facit Agricolæ: ſilet herbula primis
Frigoribus contracta; gelu vel terra rigenti
Clauditur, aut longo madet intractabilis imbre,
Jam neque fundit opes; Olitor niſi frigora flammis
Vicerit occultis, multo vel ſtercore molles
Evocet (5) Aſparagos; & quas natura negabit,
Præcoce Lactucas emergere juſſerit ortu.
Hunc olim prior induxit Quintinius uſum.

OLERA PROPERATA.

(1) *Courge longue*. (2) *Couche ou petite planche dans un jardin*. (3) *Rave ou Raifort*. (4) *Melon*. (5) *Aſperges*

Quippe Hyemes inter medias felicibus armis
Oppida cùm Galli quaterent inimica, nec anni
Tempeſtas eſſet non fertilis ulla triumphis:
Ille ſuâ ne non Brumam quoque vinceret arte,
(*Ubi de Verſaliis.*) Nullo Hyemis Veriſque ſatas diſcrimine plantas
Verſaliæ riguis educere cœpit in hortis:
Nam quid humus Regi non deferat, excita tanti
Principis aſpectu, poſito qui pondere rerum
Quos oculos aperit populis orbique regendo,
In tenues amat interdum demittere plantas.
Si, loca jam toties mihi decantata, beatos
Verſaliæ colles videam; non ipſa tenebunt
Auguſtæ me tecta domûs, non lympha per altos
Obſequioſa fluens montes, non totius orbis
Dives opum variarum hortus, non denique noſtrum;
Quanquam non pigeat tantos Olus inter honores
Aſpicere: at molles lætis cùm perleget herbas
Luminibus Lodoix; ero Principe totus in uno,
Quem procùl attonitus ſtupet Orbis, & ultima retro
Venturi poſt ſecla velint vidiſſe Nepotes.
Cùm venti poſuere truces, & Oluſcula leni
IRRIGANDI TEMPUS. Jam Zephirus fovet afflatu, non Sole cadenti
Non oriente, recèns hauſtos diffunde liquores;
Humor inexpertam ne frigidus occupet herbam.
Cùm medium Cæli Titan conſcenderit orbem,
Tunc bibet iriguos tellus lætiſſima rivos.
Dein anno mutante vices, tu tempora muta:
Namque ſuperfuſis plantas à Sole calentes
Ureret imber aquis: æſtivo tempore pronos
Heſperio Phœbus ſeu mergat in æquore currus;
Eois redeat ſeu matutinus ab undis,
Eductas puteis querulâ compage rotarum
Tempus erit toto lymphas diſpergere campo.
Vere novo lactens viridem cùm meſſis in herbam
Tollitur

Tollitur; & Zephiris hiſcens Roſa mollibus auras
Implet odore novo; floreſque induta recentes
Ipſa ſuis arbos inhiat pulcherrima ramis;
Venturæ recreat ſegetis ſpes una Colonos:
Aſt Olitor jam nunc operum mercede diurnâ
Dives erit: breve (1) Chærophilon, & (2) Amaracus umbrâ
Lætior in meſſem creſcunt; & olentia Fragis
Arva rubent, uviſque (3) Ribes arbuſcula criſpis,
Jamque caput plexis involvere (4) Braſſica ramis
Cogitat, & tardi ſurgunt (5) Bugloſa saporis.
Occultas per ſaxa vias alimentaque (6) Cappar
Inveniens, ſcabris tegit obſita rudera baccis.
Cæſa ſemel (7) Lapathi brevis herba virentibus uſque
Luxuriat rediviva comis: criſpantur olentis
Flexibiles (8) Apii frondes, & acumine mollem
(9) Cepula findit humum, tonſiſque repullulat (10) Oxis
Frondibus, & dulces ſpargit (11) Melilotus odores.
(12) Fœniculum, (13) Raphanuſque tener, mordaxque (14) Sinapi,
Lætaque naſcuntur (15) Puleïa, quæque domorum
(16) Ocima ſublimes decorant palpanda feneſtras.
Eruitur (17) Staphilinus humo, (18) Siſaronq; breveſq;
(19) Buniades, & quæ fruticat ſpatioſior (20) Hirci
Barbula, & hyberno gaudentia frigore (21) Rapa.
Sylveſcunt (22) Cinaræ, pomoque virente ſuperbas
Mille modis variant cœnas; torpenſque palatum

VERNA HORTI FACIES.

(1) *Cerfeuil*, fourniture de ſalade. (2) *Marjolaine*, bordure. (3) *Groſeille piquante*. (4) *Chou pommé*. (5) *Bugloſe*. (6) *Capre*. (7) *Patience*, eſpece de fort grande Oſeille. (8) *Perſil* (9) *Ciboule*, eſpece de petit Oignon. (10) *Alleluya*. (11) *Melilot*. (12) *Fenouil*. (13) *Rave*. (14) *Moutarde*. (15) *Pouliot*, bordure. (16) *Baſilic*. (17) *Carote*. (18) *Chervy*. (19) *Navet*. (20) *Scorſonere* ou *Salſifix*. (21) *Rave*. (22) *Artichau*.

Exacuunt dulci (1) Cicer (2) Aſparaguſque ſapore.

(Ubi de priſca frugalitate.) Quas epulas tantùm lectos & ab arbore fructus
Priſca Patrum norat virtus atque aurea frugi
Simplicitas : hinc illa virûm felicior ætas
Uſquè valens tenui ſuperabat ſecula victu.
Nunc ſpatio vitam finit breviore ciborum
Implacata fames : neque enim in convivia tantùm
Jam veniunt agris animalia nata colendis :
Itur & in medias, pretium faciente periclo,
Oceani ſyrtes : educitur æquore Piſcis :
Nec medium tutis Ales ſecat aëra pennis ;
Totus & eſt jam pene gulæ contractior orbis.

VERNA OLERUM SATIO. Dum viget hyberno tellus animoſior imbre ;
Ne ſterili vernas in alendo gramine vires
Inſumat ; properemus humo dare ſemina (3) Tymbræ
Atque (4) Apii, (5) Betæque rubræ, (6) Piſiq; virentis :
Tunc quoque (7) Cervinum cornu, (8) Coriandra, (9) Blitumque
(10) Et Seris, & dulci (11) Borrago flore feruntur,
Et coctu (12) Faba difficilis, viliſque (13) Faſellus ;
Aureaque (14) Andragne, atque humilis (15) Saliunca, ſuumque
A longo quæ nomen habet (16) Lactuca cucullo ;
Mutatumque ſolo, radicibus antè reciſis
Detonsâque comâ cantoribus utile (17) Porrum
Pangitur, & (18) Cepe lacrymas factura ſecanti.
Vos etiam (19) Lupuli, brevibuſq; (20) Cicerbita ramis,
Et primâ (21) Pepo difficilis cùm pubet in herbâ,

(1) *Pois.* (2) *Aſperges.* (3) *Sarriette*, bordure. (4) *Perſil.* (5) *Bête-rave.* (6) *Pois-vert.* (7) *Corne de cerf.* (8) *Coriandre.* (9) *Blette.* (10) *Chicorée blanche.* (11) *Bourrache.* (12) *Fêve.* (13) *Haricot.* (14) *Pourpié.* (15) *Lavande*, bordure. (16) *Laituë capucine.* (17) *Porreau.* (18) *Oignon.* (19) *Houblon.* (20) *Eſpece de Chicorée ſauvage* (21) *Melon*

Teque (1) paluſtre Apium, te ſemen olentis (2) Anethi
Accipient ſulci, (3) Crithmumque, & amica Lyæo
(4) Hormina, quæque manus inodorat (5) Ruta legentes.
Quid jubeat, quid Luna vetet, plebs neſcia rerum — *Lunariis ſuperſtitio.*
Inſpiciat, Lunaſque meras, atque arbitra ruris
Aſtra crepet; tu Sole tuos metire labores.
Si qua fides oculo, plantas Sol adjuvat unus;
Et quod in humanas poſſunt vaga ſidera mentes,
In teneras id juris habent non amplius herbas.
Seminibus poſitis inimicam avertite Talpam; — *Olera infeſtant Talpæ*
Ne deformet agros, & iniquo dente ſativum
Depopuletur olus. Longos telluris acervos
Si quando aſpicias ſenſim conſurgere, greſſus
Fer tacitos, craſſamque rogam ſuper injice: ſummum
Talpa ſolum ſulcans, poſitis caput inſcia pannis
Inſeret, & meritas tenebris dabit eruta pœnas.
Agricolæ, contra Mures aviumque minorum — *Mures.*
Inſidias & furta, ſolent defigere vepres,
Et teneras rigidis defendere ſentibus herbas.
Non equidem per dura petit Mus vulnera prædam,
Occultum ſed quærit iter tellure ſub ima;
Armataſque rubis ſepes, & inutile vallum
Trajicit, & teneras depaſcitur helluo frondes:
Sint tibi fallaces foribus ſata propter apertis
Muſcipulæ, quibus invitet ſuccedere furem
Pendula nux: avido maleſidam credulus eſcam
Ore petit, clauſoque vorax ſe latro teneri
Carcere conſpiciens, jam non ſemeſa reſumit
Fruſta nucis, ſed non ceſſat captivus iniquas
Tollere vel pedibus, vel dente laceſſere valvas.
Vidi ego qui Talpas (6) Ricino maleolente fugaret,
Atque venenatâ (7) Cinaræ radice pararet

(1) *Hache.* (2) *Anet.* (3) *Crete-marine* ou *Fenoüil-marin.* (4) *Ormin.* (5) *Ruë.* (6) *Tique.* (7) *Artichau.*

Muribus inſidias. Si quando frondibus hærens
Campe. Infeſtabat olus Pulex, hirſutaque (1) Campe,
(2) Marrubii latices ſuper injiciebat amaros:
Formicæ. Et Formicarum flammis abolere receſſus
Sueverat, ut fumo duriſque exterrita pœnis
Impigra gens ultro maletutis cederet agris,
Nil fruges hyemi lectas, nil horrea curans.
(Ubi de Ciconia. Providêre Dei nobis meliora: Pyrenes
Nuper enim celſos peregrina Ciconia montes
Dum ſuperat, ferturque humili ſuper arva volatu;
In caſſes ſibi non poſitos cadit, atque reſectis
Continuò pennis cuſtos imponitur horto.
Oblatas captiva dapes faſtidit; at Anguem
Inter-vidit olus, vacuamque immiſit in alvum;
Quanvis ille diu luctatus, corporis imos
Implicuit nodos, & torta volumina roſtro.
Quæſitura novam Volucris per oluſcula prædam,
Herbarum genus omne ſagax ſcrutatur, & hortum
Muribus, & Campe purgat, Talpiſque; nec ipſos
Dedignatur edax, veteri quos evocat imber
Pariete, Limaces fractâ conſumere conchâ.

OLERUM CULTURA. Non ſatis eſt procul infeſtas avertere peſtes;
Aſſiduo niſi ſollicites plantaria cultu:
Nam ſine vi quæ ſponte rubos & inutile gramen
Indulgens ſibi terra creat; niſi victa labore
Continuo, nec Olus nec munera blanda Lyæi
Nec ſegetes pariet. Sic nos ad inania fortes,
Deficimur nervis ad honeſta; viâque pedeſtri
Qui paſſus vix mille, ſuum viſurus amicum,
Conficeret; vaga poſt Leporis veſtigia totos
Itque reditque dies, faciente cupidine vires.
Radat humum raſtris Olitor, gramenque renaſcens
Eruat, & ſiccas riguis alat imbribus herbas.

(1) *Chenille.* (2) *Marrubium.*

At Peponem inprimis ab iniqua vindicet aura : PEPO.
Mollis enim ſeu primævo juveniliter ortu
Luxuriet, ſeu jam cœpit grandeſcere, cultu
Indiget æterno. Sudoribus omnia vendunt
Dî ſuperi, & magno ſtant optima quæque labore.
Veris ubì reducem Volucres cecinere teporem,
Lacte novo vel aquâ medicatum foſſula ſemen
Excipiat ſaturata fimo. Quâ parte nivalis
Flat Boreas, Olitor mixtâ cum ſtercore terrâ
Imbellem luteo præmuniat aggere plantam.
Si quid adhuc ſævaſque vices mutabilis auræ,
Et reducem medio Brumam jam Vere timebit,
Coniferi Peponem ſinat intra concava vitri
Creſcere; dum ventos ferat, & jam fortior aurâ
Liberiore frui malit, nuduſque relinqui.
Vitrea tranſmittunt tepidum ſpecularia ſolem,
Et ſævas arcent hyemes; at grandinis ictus
Non tolerant, niſi vimineis defenſa cucullis.
Uni plura ſimul mandentur ſemina foſſæ;
Nam neque vis eadem cunctis eſt inſita granis.
Maternæ qui ſolus humi ſuperaverit hæres,
Si nimius ſucci Pepo caudice longior uno
Funditur, interdum molli caput ungue putator
Demetat, & primâ luxum compeſcat in herbâ.
Tum digitis terram terat; & quæ peſſima circùm
Naſcitur herba, manu tollat ferroque bicorni;
Nec ſuper effundat largos aſpergine rores:
Languentem vitiant lymphæ contagia frondem.
Irriguos Peponi fas eſt inducere fontes,
Donec in oblongum tumidus grandeſcere ventrem
Incipiat: dein & ſitis, æſtivique calores
Dant pretium: tamen exuccam miſerabere plantam;
Si coquat arentes inſana Canicula glebas.
Sed cave ne fluidum Pepo cortice combibat imbrem:

PEPO. Tegula ſubjicitur, Solem quæ ſicca reflexum
Augeat, & terræ nocuis afflatibus obſtet.
Duxit ubi croceos pellis rugoſa colores,
Jamque relicturus plantam dirumpere collum
Nititur ipſe Pepo; cultrum ſuppone, priuſquam
Marceat, & terris putreſcat inutile pondus.
Hunc legito qui mole gravis, cute durus, & auro
Concolor eſt, guſtuque refert & odore Lyæum.
Non alia eſt (1) Cucumis cultura: (2) Cucurbita Cæli
Difficilis patiens minùs eſt obnoxia curæ.
Cætera quæ paſſim naſcuntur oluſcula, verſu
Quid memorem: ſi pinguis ager, ſi plurima lymphæ
Copia; non tempus non diſciplina ſerendi
Quæritur ulla: ſibi tellus nil indiga noſtri
Sufficit, ut largâ ditet mercede Colonum.
(3) Fraga tamen, (4) Cinaramque juvat purgare, revulsâ
Prole, ſuam circum fruticat quæ plurima matrem.
LACTUCA. In teretem (5) Lactuca comas quæ circinat orbem,
Candidior fit operta ſolo; prodire nec auſit
APIUM. In menſas (6) Apium majus, niſi Ruſticus altâ
Veſtierit terrâ juſſas albeſcere frondes.
ENDIVIA. Candeſcit pariter criſpas (7) Endivia molli
Vincta comas junco, & genitalibus obruta ſulcis.
Mollior & (8) Raphanus terris innaſcitur, imbres
RAPHANUS. Si biberit ſalſos (aſper ſalſugine guſtus
Corrigitur) durus contrà ſi caudice nudo
Tellurem ſuper emergat, folioque frequenti
Luxuriet, vel fortè ſitim ſit paſſus iniquam.
CAPPARIS. (9) Capparis exeſis quæ ſe circumligat ipſa
Parietibus, veteri plantis de ſtirpe revulſis

(1) *Concombre.* (2) *Citroüille.* (3) *Fraiſe* (4) *Artichau.* (5) *Laituë pommée.* (6) *Celeri.* (7) *Chicorée blanche.* (8) *Rave* ou *Raifort.* (9) *Caprier.*

Conſeritur; quanquam viridis cùm bacca tepentes
Oſcitat ad ſoles, fœtam det ſemine glandem.

Debilior tellure (1) Cicer ne repat aquoſâ; CICER.
Ramoſas appone ſudes, quas ſponte volutis
Claviculis veluti manibus comprendit, humoque
Erigitur latè fruticans, albiſque niteſcit
Floribus, & folium partes diffundit in omnes.

(2) Allia ſi pedibus calcas, injuria laudem ALLIA.
Afferet, & capiti dabit incrementa tumenti.
Cùm pallent, & humi flexâ cervice recumbunt,
Vellere tempus erit: vinctis de more maniplis,
Purgatoque ſolo, duros tractare ligones
Incipe, ut infeſtum tellus exhalet odorem;
Qui teneras, ſi vera ferunt, interficit herbas.

Grandia quæ longo jam macrior Allia partu
Terra tulit, largo reparatas ſtercore vires
Colligat, antè novo quàm ſemine fœta, labores
Inſtituat primos. Id in hortis dulce colendis, DE HORTO OLITORIO.
Quòd meſſem tellus alit irrequieta perennem;
Agricolaſque beant & ſpes & fructus avaros.

Et dubitamus adhuc tantis diteſcere donis,
Atque Oleri curas impendere. Buxea nobis
Sylvula, non hortus colitur: procùl utilis herba
Exulat, ut vani florum captentur odores,
Et totum ſterili rus abſumatur in horto.
Atqui nil cedunt hortenſes floribus herbæ.
Una dies florem naſci videt, una caducis
Effœtum languere comis: quæ manè rubentes
Explicuit frondes, lapſo Roſa veſpere flore
Triſtibus horreſcit ſpinis: at oluſcula durant
Semper, & in ſulcos rectè digeſta, virenti
Nil Buxo cedunt, nil coniferæ Cypariſſo.

Si rapidos Olitor Soles, ſi frigora Brumæ

(1) *Pois-chiche.* (2) *Ail.*

Mollit; & arte juvans Naturam, præcoce partu
Cogit humum natos alieno tempore fœtus
Edere, quæſitas menſis regalibus eſcas;
Ad quantas emerget opes! quæ nominis ibit
Fama ſui! quàm ſorte ſuâ contentus avitum
Vertet agrum: neque enim longi ſpe pendulus anni
Eventus pavet ancipites: ſerit uſquè metitque;
Plenaque nil ad vota deeſt, ſi ſedula conjux
Obtigit, & duri proles ſtudioſa laboris:
Fortior ipſe ſolum palâ, duroque ligone
Sollicitat; puerique ſuis pro viribus adſunt
Aſſidui comites operum: pars frangit inertes
Malleolis glebas, pars gramen inutile raſtris
Inſequitur, ſpargitque fimum, plantiſque calores
Æſtivamque ſitim properantibus excutit undis.

De Olitore.

At calathis Olus exportans adit oppida conjux:
Sera domum redit ære gravis, dapibuſque diurnos
Nec non urbano recreat rumore labores.
Pauperibus menſis non aſſidet invida Cura,
Nec trepidus Pavor ambiguis circumvolat alis:
Nam neque bella timent, nec jura forenſia: vanos
Non horrent ſtrepitus: non irrequieta tumultus
Excitat internos tacitæ mens conſcia culpæ.
Lite carent, neque nota domi vadimonia: nunquam
Lictoris ſubiit facies inviſa Penates;
Et niſi ſpem fuerit ſeges ementita, dolorem
Nullum corde premunt; oritur neque triſtior agris
Ulla dies, niſi quam Soles fecere maligni.

Nil ſibi cum Medicis, vanâque Machaonis arte,
Et tamen uſquè valent; lecto nec plumbeus Auſter
Languidulos affigit; iners nec Bruma, nec Æſtas
Ulla nocet: nec membra ligant nodoſa podagræ:
Non ſtomacho gravis eſca: febrem non lethifer afflat
Autumnus; neque deliciis properata ſenectus

Inſtat, & extremam præcox denuntiat horam. DE OLITORE.
Ipſe ſalutares herbas, quarum indiget uſus,
Hortus habet, (1) Rutas; (2) Althæam, (3) Abſynthia, (4) Malvas,
Et quæ concilient criſpata (5) Papavera ſomnos.
Fert & opem medicis labor ipſe potentior herbis;
Et ne fortè gravent opera indefeſſa Colonos,
Septima quæque dies ludos, & amica Lyæi
Dona refert; meritique loco & virtutis habetur
Suſpenſis reſides ceſſare ligonibus agros.

Mutua qui feſtum vocat in convivia Pagum,
(6) Lactucas, (7) Cinaramque dapes apponit inemptas;
Nec Cyathis parcit: poſt prandia ducit in hortum
Convivas, & multa docet, diſcitque viciſſim
Re ſuper hortenſi, longo ſermone ſecutus
Herbarum caſus varios, uſumque medendi;
Pallida ſeu vitio telluris oluſcula languent,
Infeſtis ſeu vermiculis obſeſſa tenentur.

Nec ſilet herbarum vires; ſeu pigrior alvus,
Seu fuerit citior, tuſſi ſeu fortè frequenti
Excutiat latus illabens pulmonibus humor,
Aut intermiſſis furit æſtibus arida febris;
Indicat hortenſis ſi quæ ferat herba ſalutem.
Tum majora crepans, ridet potuiſſe Deorum
Eſſe loco quondam Porrum Cepaſque, ſuiſque
Mortales coluiſſe ſatum ſibi Numen in hortis.
Et veteris famoſa refert mendacia famæ,
Pluribus enarrans, ut (8) Braſſica nata (9) Licurgi

(1) *Ruë.* (2) *Guimauve.* (3) *Abſinthe.* (4) *Mauve.* (5) *Pavot.* (6) *Laituë.* (7) *Artichau* (8) *Chou.* (9) *Lycurgus Thraciæ Rex, Vites toto regno excidi juſſit; quòd Thracas vino immoderatè deditos animadverteret. In furorem deinde actus crura ſibi ſuccîdit, Vites putans excidere: cùm præ dolore fleret largiùs, ab illius lacrymis natam fabulantur Braſſicam.*

DE OLITORE.

De lacrymis, Vites etiam nunc oderit almas:
Vitis (1) ut ipſa retro tendentibus uſquè flagellis
Diffugiat, ferrum velut in frondoſa Licurgus
Brachia rurſus agat, vetereſque reſuſcitet iras.
Ipſa (2) Meliphyllon humili de cæſpite ruſo
Flore micans, Apis (inquit) erat, quam Flora latentem
Neſcia cùm premeret digitis, ſe vindice lædi
Cuſpidis indoluit punctu: neque lenta Volantem
Pœna ſecuta ream eſt: in odoras utraque creſcit
Ala comas, ſubitâque pedes radice tenentur;
Herbaque fit, quâ non jucundior altera triſtes
Curat Apes, medicata vocans in tecta fugaces;
Et dulci fractas reparans ſpiramine vires.
Interea pueros Olitor famulumque ſequentem,
Si quid diſpliceat, verbis caſtigat amaris;
Nec laudes reticet meritas: nam laude vel ipſos
Agricolas ſtimules. Tunc ſi quis ab arbore fructus
Decidit ante diem, legit ipſe, domumque reportat.
Si qua ſolo jacet herba, gravi ſi pondere ramus
Flectitur; è terra relevat, furcâque bicorni
Suſtinet, inque dies opera inſtituenda ſequentes
Deſignat, licito apponens etiam otia lucro.
Felices hominum curas, quas inter iniquo
Non ſceleri non invidiæ locus: unus & horto
Et deſideriis eſt terminus; una Ferarum
Furta timent: vicinus amans virtutis & æqui
Incuſtoditum formidine liberat agrum.
At neque tranquillos amor inſatiabilis auri
Sollicitat: lucrantur opes, partiſque fruuntur;
Sola relinquentes pueris hæredia, raſtros,
Jugera pauca, domum luteam, cultumque ſupremi
Numinis, & ſanctos mores, ſtudiumque laboris.

(1) *Vites, à Caulibus Braſſicis, ſi propter ſati ſint, ut à peſtiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere.* Cic. de natura Deorum.
(2) *Meliſſe.*





PRÆDII RUSTICI

LIBER X.

Vites.

VITIS ament alii ſuccum : cultura Poëtam
Me juvat ; effoſſis ſeu Vinitor ordine longo
Semina deponat ſcrobibus, cultuque frequenti
Hortetur teneras fœtu turgeſcere plantas,
Sive laborantes Ulmos pendentibus uvis
Exoneret, condatque cadis ſpumantia vina.
Obſervata ſequar Latii veſtigia Vatis,
Pampineos peragrans colles ; atque unde Maroni
Jam præcepta fuit vindemia dives, eâdem
Neglectas ſectabor inops in Vite labruſcas.
Felici meditatus agros veſtire Lyæo,
Antè rudis ferro tentes quàm viſcera terræ,
Quære priùs Viti faveat quæ commoda tellus, OPPORTUNA VITI PLAGA.
Quo melior veniat ſub ſidere : Vitibus omne
Dat pretium Cælo tellus ſubjecta ſalubri.

OPPORTUNA VITI PLAGA.

Qui populi ſeptem patiuntur acuta Trionum
Frigora, bacchæum redimant Halece liquorem;
Pocula vel preſſis imitentur vitea pomis:
Vitiferos neque enim ſperent aſſurgere colles
Quâ regione minas Aquilonis, & horrida Cauri
Flamina vix Pinus rigidis aſſueta procellis
Ferre poteſt, niviumque riget ſub pondere tellus;
At neque Phœbæo quæ ſemper aduritur igne
Barbara gens, curas uvis impendat inanes,
Nec Bacchum ſteriles invitum accerſat in agros.
Inter utramq;plagam,Scythicum quà mundus ad axem
Conſurgit, melior jacet arcto limite tellus
Frigoribus nec fœda, ſiti nec hiulca perenni,
Sed Boreæ alternis vicibus Zephyrique tepentis
Et pluviâ, & leni mollita ſalubriter æſtu:
Hic Baccho locus, his ultrò bonus imperat arvis;
Nec regni ulteriùs curat protendere fines.
Non interjectas uno tamen ordine gentes
Bacchus habet: belli ſtudiis clariſſima quondam;
Marte meroque parem fecit ſibi Græcia famam.
Romanos rerum dominos Deus inde ſequutus,
Vina Falerna dedit: lapsâ tum mole potentis
Imperii, muſto ſordentia plauſtra per Alpes
Egit, & optatis Gallorum conſtitit oris,
Deſpiciens populos Boreæ de parte vocantes.
Scilicet invictis quæ gens effloruit armis
Viſa placere Deo eſt. Tantum ne Gallia munus
Sperne: latet cæcis argenti copia venis,
Æriſque, chalybiſque latent, aurique metalla:
Parcite ſed Baccho loca commoda parcite cives
Deſtruere, & tectas, irritamenta malorum,
Divitias ferro ſub eiſdem quærere terris,
Queis auro melior, vitæ ſolamen amaræ,
Exoritur contra curas & tædia Vitis.

Opportunus

Opportunus ager, tepidos qui vergit ad Auſtros ; AGER. VITI COMMODUS.
Et ſabulo levis eſt : hic peſſimus, unde furenti
Fruta ſylva manu regnis exceſſit avitis,
Inviſura focos : infamem ſtrage recenti
Odit humum Bacchus, nec ſponte hinc pabula carpens,
Triſtior ingratum degit ſine viribus ævum :
Vivit enim Truncos radix ultura reciſos ;
Et quanvis caput in tenues non efferat auras,
Interiora tamen dominatur, agrumque per omnem
Serpit, & immeritos ad ſe rapit improba ſuccos.
Æquior eſt Cereris multos quæ terra per annos
Paruit imperio, & pingues nutrivit ariſtas.
Nam ſpicis redimita Ceres, & Vite nitentem
Pampineâ Bacchus frontem præcinctus, amicis
Conſpirant animis, ut vitæ gaudia menſis
Hæc ſegetes, alter lenis det pocula vini.
Optima jejuni colles, largiſſima campi
Vina dabunt; & in arbitrio eſt, vineta ferentis,
Uberius cellis vinum meliuſve reponat.
Pendenti malè firmat humo veſtigia Bacchus,
Ni paries humilis toto diſcrimina clivo
Crebra facit, limum retinens ; ne defluus imber
Auferat, & vallem ſecum deducat ad imam.
Quin & vitiferis juga per devexa theatris
Læta repercuſſo coquitur vindemia Sole,
Uvaque vicinis Phœbum non invidet uvis.
Tales dum rapido Rhodanus petit æquora curſu
Miratur paſſim ripis aſſurgere colles,
Et fugiens nutu dextrâ lævâque ſalutat.
Tres facies, totidem vulgò ſunt nomina Viti, TRIPLEX VITIS.
Prima Toloſanis latè celeberrima campis
Colligit ingentes non longo in ſtipite vires ;
Brachiaque huc illuc tendens, media ipſa tenet ſe, *Arbuſcula.*
Aſpernata trucem Boream Cælique furores.

jugata. Altera quæ trunco gracilis caput altiùs effert,
Pondere victa ſuo jaceat delumbis, arundo
Ni doceat ſtantem rabidos contemnere ventos.

Arbuſtiva. Tertia frondenti Vitis requieſcit in Ulmo,
Quam tenet amplexu; ramoſque effræna per omnes
Serpit, & elatum caput inter nubila condens,
Oſtentat curvos pretioſo pondere ramos:
Unde Gigantæâ Vitem de ſtirpe creatam
Græciaque & vani quondam cecinere Poetæ.

Metamorphoſis. Jupiter Anguipedum poſtquam temeraria fratrum
Conſilia & ſtructos disjecit fulmine montes;
Phlegræis reſupinus agris per quinque jacebat
Jugera centimanus Briareus: qui conſcius auſi
Supponens humeros nitentem ad ſidera fratrem
Juverat Enceladus, repetito fulminis ictu
Stratus humi, nigro quoque tinxerat arva cruore.

Terra ſuæ prolis ſortem miſerata, Tonantem
Orat ut arborea ſub imagine rurſus alendam
Accipiat gremio ſobolem; quæ reddita vitæ
Serviat humano generi, nec rurſus in altum
Poſſit, humo defixa pedes, ſe tollere Cælum.
Protinus Enceladi de corpore naſcitur Ulmus:
Figit agro plantas Briareus: rugoſior artus
Contegit elumbos cortex: quot brachia bellum
Intulerant, totidem repunt ſarmenta; jugalem
Queis veluti manibus ſtringens amplectitur Ulmum;
Erigiturque ſolo; ramoſaque brachia jactans,
Nunc quoque ſidereas affectat Vinea ſedes,
Atque Gigantæo de ſanguine nata, liquorem
Sanguineum fundit; motoque laceſſere bello
Si nequeat Superos, cyathis mortalia plenis
Corpora ſternit humi: quas foverat, addit inanes
Spes animis, ipſoſque docet contemnere Divos.
Cùm tonat, expertum media inter dolia fulmen

Horret adhuc, mutatque metu pallente colorem.
Qui tali potuere ſatas ab origine plantas
Fingere, quid mirum nova per mendacia Græcos
A Superis duxiſſe ſuæ primordia gentis.

Vitibus una licèt ſpecies, non unius omnes QUÆ VITIS OPTIMUM VINUM FERAT.
Vina dabunt pretii : melior de Vite pedata,
Quò propiore ſolo fruitur, vindemia pendet :
Caudice quæ brevior, terræ vicina, reflexi
Auxilio Solis feliciùs excoquit uvas.
Quæ nubunt Ulmis, Baccho cellaria vincent
Ubere, ſed triſti qui torqueat ora ſapore :
Arbor enim, Solem ſub fronde latentibus uvis
Eripit, & dulci prohibet miteſcere ſucco.
Si tamen eſt Ulmo Vitis conjuncta maritæ ;
Ne muta patrios mores, habitumque locorum :
Sunt & inexperti metuenda pericula cultus ;
Atque aliis aliam in faciem feliciùs arvis
Naſcuntur Vites : longo Burgundia tractu
Suſtinet elatas ſudibus furcâque ſalignâ ;
Ne vitiet putres agri vapor humidus uvas.
Allobrogum verò cæcis in vallibus, uva
Vix fruitur viſo niſi ſummâ ex arbore Phœbo.

Itala gens (ſeris uſus quia venit ab annis
Non vitio terræ) Vites ſocialibus Ulmis
Jungit, & æquali geminas ætate maritat :
Conſita namque locum fuſis ubì ſtirpibus arbor
Anticipat, ſuccum naſcenti præripit uvæ :
Atque Ulmus, cum Vite, pari niſi pubeat ævo,
Non tolerat ſponſæ ramos & pondus iniquum.
Si morbo gravis arbor obit, vel ſegnior annis,
Connubio tu parce novo, furcâque bicorni
Et fixo viduam ſolare pedamine Vitem.

Horto etiam Vitis decori eſt, cùm proxima tectis VITIS PERGULANA.
Naſcitur, & ſcitè muros hinc inde per omnes

Flectitur, atque jugo primis aſſueſcit ab annis:
Tum latè intendunt contos, ramoque ſequenti
Vitem ad vincla vocant: mordacibus illa ſalignas
Claviculis ſtringit crates, latèque virenti
Palmitis obtentu muros, & limina veſtit.
Sæpe per irriguos Olitor non inſcius hortos,
Dum flecti dociles virgæ, dum mollior ætas,
In teſtudineum ſarmenta ſequacia dorſum
Ire jubet, contra æſtivos umbracula Soles.

VITIGINEI SURCULI DELECTUS.

In quamcumque velis faciem ſe tollere Vites;
Optima quæ culto figas plantaria colle
Eligito: ſi quid vitii delectus habebit;
Arte dehinc nullâ generis reparabile damnum eſt.
Non habet empta fidem Vitis, fallitque Coloni
Spes avidas, alio ſibi quæ tranſmittitur orbe:
Neſcit enim peregrina novis aſſueſcere terris,
Amittitque ſuam mutato ſidere famam.
Cùm rubet, ac torto mitis vindemia collo
Extremis fruitur jam ſolibus; elige Vitem
Quæ peperit plures, modò ſit ſapor optimus, uvas;
Inde petes ſarmenta tuos pangenda per agros:
Atque ut noſſe queas; jam tum vel ſumma flagella
Demete, vel trunco rubeos inſcribe colores.

VITIS SATIO.

Quæ verò potior ſatio, quæ forma ſerendi,
Omnia divino dudum vulgata Maroni,
Dicere nil opus eſt: at quâ ratione recentem
A teneris Vitem informes, doceaſque labori
Reſpondere tuo; paucis hæc omnia Vates
Perſtrinxit, rerum faſtigia ſumma ſequutus.
Ac velut egregia pingendi quiſquis in arte
Nomen habet, primis habitumque ſitumque figuris;
Et quæcumque operi ſeu vis ſeu gratia poſtquam
Indidit ipſe, rudi permittit cætera dextræ.
Sic majora movens animo, quæ multa parabat

Præterit,atque aliis Maro *commemoranda relinquit.*
Ergo rudes huc, Muſa, manus: jam pullulat agris, VITIS CULTURA.
Jam nova primævo veſtit ſe Vinea ramo.
Eia agite Agricolæ, raſtris duroque ligone
Prima juvate novi partûs conamina, terram
Vertite, & obliquas effoſſis altiùs agris
Cogite radices meliorem accerſere ſuccum.
Plura ſimul primos creſcant impune per annos
Germina; nec Vitis ſpes tota recumbat in uno
Palmite: poſt ternas hyemes manifeſta vigoris
Signa patent: fluxas molli tunc denique frondes
Decuties digito: neque enim quos parturit, omnes
Educat, & ſucco fœtus alit ubere Vitis.
Quæ ratio, quæ cauſa rei, quâ lege per omnes
It ſuccus ramos, & frondes explicat arbor:
Imò age nutricis quæ tanta potentia terræ
Auget in immenſos ſylveſtria ſemina truncos
Expediam, & cauſas (1) iterum tentabo latentes.
(Ubi de plantarum nutritu & auctu.)
Tota recèns nati ſub cortice germinis arbor,
Ut perhibent, latet in tenuem contracta figuram:
Ipſum adeo vinclis ſi vis humana ſolutis
Poſſit in exiles germen diducere fibras,
Continuò teneris ramos miretur & uvas
Involvi tunicis; atque ut puerilia membra
Explicat humano decurrens corpore ſanguis,
Non aliter pinguis terræ nutritius humor
Paulatim inſinuat ſeſe radicibus imis,
Et Sole eductus tepido, venaſque per omnes
Diffuſus, ramis animos vegetumque vigorem
Sufficit: at Phœbi cùm ſe vis blanda remittit,
Deceditque Hyemi; tum nec ſe porrigit ultrà,
Nec tumet in florem, nec partus educat arbor:

(1) *De plantarum nutritione earumque morbis ſupra.* Lib. 6. pag. 114. & ſequentibus.


Languet iners, cecidere comæ, ſylvaſque per omnes
Horrent indecores nudato vertice trunci.
Quippe pigrum toto fundit ſe cortice frigus;
Nec via per ramos nativo libera ſucco.
Mota autem tellus, & crebro exercita cultu
Arboreoſque juvat frutices, & graminis herbam;
Molliti ſeu cæca ſoli ſpiramina laxet
Aſſidui labor Agricolæ, terrâque ſolutâ
Uberior veniat naſcentes humor in herbas:
Seu quæ terra diu tergo vim pertulit æſtûs,
Verſa manu, nova det fibris alimenta, ſupinas
Plurimus inprimis glebas ſi diluat imber.
VITIS PUTATIO. Ergo vocet pluviam votis, durataque Foſſor
Aſſiduis diſcat renovare bidentibus arva;
Atque putans Vitem duræ poſt frigora Brumæ,
Provideat matrem ne germina plura fatigent.
Si quem digna manet Lenæi gloria, Lunam
Conſulat; agreſtes moderatur Luna labores,
Illius & vario pendet res ruſtica vultu.
Viribus exultans quæ Vitis inutile lignum
Et ſteriles fundit ſuccoſo caudice gemmas,
Cæditur, amiſſos Phœbe cùm colligit ignes.
Informi contrà macie confecta putatur,
Cynthia cùm lucet juncto pleniſſima cornu.
Ancipiti mecum dubitat qui credere Lunæ;
Et terram ſpectare, Poli quàm ſidera, mavult;
Effœtas reparat Vites, breviora recidens
Sarmenti capita; & pingui de Vite racemos
Elicit, in largum ſubmittens brachia fructum.
Vitales æquis ſuccos diſpenſet utrinque
Muneribus, neutrâ Vitis neque parte laboret;
Sed quatuor panſum caput in duramina truncus
Explicet, unde novâ reparetur fronde quotannis.
Ne laceros hebes immiti falx vulnere ramos

Saueiet, & niſu penetrans majore moretur
Delaſſetque manus, ſcabrâ rubigine nigram
Cote novet; Viti nec Ruſticus arma requirat
Altera fingendæ. (*a*) Capulo vicina ſaligno
Pars (*b*) acies cui recta, ſinu falcata recurvo
Flectitur; ut ductu frondator ſimplice Vitem
Amputet obliquis eadem in veſtigia plagis.
A (*c*) flexu ſinus in (*d*) roſtrum procurrit aduncum;
Si quid in anguſto purgandum; putria truncis
Si qua cavis adimenda: (*e*) minax in terga ſecuris
Prominet, ut cæſim feriat; ductimque putator
Vincere ſi qua nequit duramina, deſecet ictu.

VITIS PUTATIO.

Plaga ſolo ſit prona, gravem ne combibat imbrem;
Vel gelidam accipiat Cælo reſupina pruinam.
Ni procul à gravidis media internodia gemmis
Sedulus obliquâ reſcindat falce Colonus
Interimet ſuper illacrymans nova germina Vitis.

Æthereas cùm palmes agens ſe lætus in auras,
Occupat anguſtas inter duo brachia fauces
Vinitor hunc ferro metat; & quodcumque feraci
Proſilit è trunco, pedibuſque innaſcitur imis,
Mollibus exturbet digitis, niſi vertice cæſo
Cogitat enatis Vitem reparare flagellis.
Sed quoniam vel Sole, gelu vel aduſta rigenti
Latiùs emoritur; truncum ſuccidere malim,
Atque ſuperjectis ſtirpem defendere glebis.
Vitea tranſmittit caules, palumque vacantem



A Capulus.
B Culter ſeu recta acies.
C Sinus ſeu flexus.
D Roſtrum.
E Securis.

Contegit, & pingues fructu gravat ubere ramos.
Iliceas qui Vere ſudes medióve retractat
Vinitor Autumno; ſincera pedamina vertat,
Submoveat carioſa, ſolo pendentia figat
Altiùs; & Vitem nodis ne ſtrangulet arctis;
Sæpe locum mutet ſtringens; Vinetaque purgans,
In tenues collecta liget ſarmenta maniplos.

VITIS FOSSIO.

Nec mora poſt Vitem Saturni falce putatam,
Antè novas gravido trudat quàm cortice gemmas;
Foſſor adeſt, duroſque opera ad majora lacertos
Exerit. Umbroſo Fagi ſub tegmine veſtis,
Doliolumque, & nigra Ceres, viliſque ſupellex
Abjicitur; fidus ſervat Canis omnia: primus
It ſenior, glebaſque movet: ſubit ordine longo
Indiſtincta cohors, & paſſibus æquat euntem.
Ille animos regit, atque interdum lumina flectens
Admonet herbarum verſas oſtendere Cœlo
Radices, urgere operam, dum nubila pendent,
Altiùs & ferro penetrare in viſcera terræ.
Fervet opus: mora nulla viris: alliſa bidenti
Saxa ſonant: levis in cumulos conſurgit arena;
Nudaque, defoſsâ circum tellure, Lyæi
Crura patent, Phœbo meliùs fruitura calenti.

Teſtilis interea Cepas, & olentia latè
Allia fert, Rapaſque viris: diſcumbitur Ulmo
Sub patula: facit herba toros; nec lignea ceſſat
Amphora perque manus, per & ora calentia ferri,
Purpureos fundens reſupina in guttura fluctus.
Cœna brevis: revocant fixi tellure ligones:
Surgitur; & vires quas dant ſibi pocula, Viti
Impendunt, ac vina ferat meliora precantur.

Sunt qui laxa regant inter Vineta Juvencos;
Sumptibus ut parcant, & aratro parciùs agrum,
Si non utiliùs, ſubigant: quæ vomer omiſit,

Proſequitur Foſſor ſpatia interjecta bidenti.

VITIS LACRYMÆ.

Vitis ubi vernos ſentit rediviva calores,
Continuò lachrymis oculos ſuffuſa tumentes
Stillanti rigat imbre ſolum, noctesque dieſque
Collacrymat. Fluidos in vaſcula cogite fletus
Agricolæ: morbos oculorum viteus humor
Sanat, & æſtivo vultus fervore peruſtos
Reſtituit; potuque juvat quos calculus, hærens
Viſceribus, miserè cruciat: ſi largiùs olim
Hauſta nocent quæ vina dabit; præſaga futuri
Providet auxilium ſucco lacrymoſa ſalubri,
Vulnus opemque ferens uno de ſtipite Vitis.
Arva licèt tepidis Zephirus laxaverit auris,
Et læto Philomela novum Ver ore ſalutet;
Gaudiaque invitet facies pulcherrima mundi:
Parce tamen lacrymis imponere Vinea finem;
Et longo metuens oculos corrumpere fletu,
Ne propera dubio gemmas committere Soli.
Hanc laudem imprudens ſibi ſervet Amigdalus, anno
Naſcenti primos, ſpem vanam, oſtendere flores,
Ipſe Aries quanvis aurato in vellere molles
Et Zephiros agat, & Veris præſagia portet;
Nulla tamen Zephiroque fides Verique tepenti:
Namque ubi ceſſit Hyems glaciales pulſa ſub Arctos,
Indignata fugam, retro veſtigia torquet
Interdum; ſævoque furens circùm undique flatu,
Depopulatur opes, quas fuderat inſcia tellus.

REPASTINATIO.

Cùm regnat Cælo Cancer; naſcentis & uvæ
Florea lanugo divinum ſpirat odorem;
Arma manu rurſum tractet, ſummumque ligone
Vinitor æquet agrum, nudis radicibus almam
Reſtituens terram, quam Foſſor ademerat; imbrem
Ut pluvium & tepidos captaret Vinea Soles.
Proderit & quæ multa virent injuſſa, nec ullam

PAMPINATIO.

Germina ſpem faciunt, digitis reſcindere: Viti
Majores dant plagæ animos; totumque relictæ
Partitur ſoboli radix uberrima ſuccum.

At ſitiens ubi torret agros Leo, tollite frondis
Luxuriem, quâ parte breves altiſſimus umbras
Efficit, & rubeis quâ matutinus ab undis
Aureus exoritur Titan: à Sole cadenti
Denſior immites defendat pampinus uvas:
Nam veſpertinum ſi ſenſerit uva calorem,
Æſtibus areſcet nimiis; toſtique racemi
Vina injucundum referent auſtera ſaporem.
Præterea gelidis Hyemem revocantibus auris,
Longa licèt duros tardent ſarmenta ligones,
Exercete viri terram; totumque per annum
Qui vineta manent triſtes avertite caſus.

VITI NOCENT

Gelu,

Sæpe ferox inſurgit Hyems: & in intima gliſcens
Membra gelu, Vites interficit: ut quid inanes
Vinitor effundis lacrymas! non fletibus iſtis
Tempus eget: vano Mulier terat otia queſtu;
Cura tibi melior, medicas ad vulnera Vitis
Ferre manus, culpamque omnem compeſcere ferro.
Semineces imo Vites à caudice cædens,
Inſere fiſſilibus ſarmenta feracia truncis.
Vitis adoptivum gremio lætiſſima germen
Accipiet; tum poſt aliquot mirabitur annos
Et plures uvas, emendatumque ſaporem.

Grando

Sæpe ſonans agris ruit aëre grandinis imber,
Lactentes nil tale timens cùm Vinea frondes
Explicuit: mollis repetito cæditur ictu
Pampinus, & longi melior ſpes concidit anni.
Tarda quidem, ſed non præſentior ulla medendi
Ars erit, infenſi quàm ſi Jovis adjuvet iras
Vinitor, & ferro tollat quæ germina tantis
Indejecta malis ſteterint: melioribus orta

Pampinus auſpiciis tibi mox emerget ab ipſo
Vulnere, maternos tamen haud oblita dolores.
Tunc etiam cùm læta novis jam Vinea ramis *Erucæ*;
Pubeſcit, plexa Erucæ ſub fronde latentes
Ova fovent, turpique inceſtant ſemine Vitem:
Semeſaſque comas Limax cornutus inerti
Obducit ſpumâ: geminam pede contere peſtem.
Si teneræ Viti Formica illudit; avaræ *Formicæ*,
Gentis opes, parcaſque domos, atque horrea verte:
Nec mora ſecuro fodiens granaria campo,
Farris inexauſtos aliò convectat acervos.
Capra venenatis naſcentia morſibus urit *Capræ.*
Germina, ni petulans pecus arceat horrida ſepes.
Audent & timidi Lepores ſub luce maligna
Molliculas Vitis furtim depaſcere frondes. *Lepores*,
Sulphuream prætende facem, fumoque ſequaci
Tetram averte luem; vel adacto in viſcera plumbo
Auritam Bacchi regnis procul ejice gentem.
Annoſis inſtat quoque Vitibus ægra ſenectus: *Senium*,
Hoc ubì; languet iners effœto corpore Vitis,
Nudatumque comâ tollit caput, aſpera rugis
Brachia fulcantur, nodoſo tubere tota
Prominet; & raris onerat ſarmenta racemis.
Fumoſo det ligna foco quæ debita cellæ VITIS PROPAGATIO.
Vina negat; propiorque novâ propagine palmes
Preſſus humi, vacuis ſuccedat ſedibus hæres.
Cùm jam purpureas varians trahit uva colores, VINDEMIÆ APPARATUS.
Muſto dum tumeat maturior, ima Lyæi
Inſtruitur domus; & vinaria vaſa parantur.
Ille omnes labor unus habet: pars mundat olentis
Hoſpitii ſordes, & torcularia tergit:
Obductas ſqualore lavat pars altera cupas:
Empta recèns alii medicantur vaſa, caviſque
Depromunt cellis jam dudum exercita vino

VINDEMIÆ APPARATUS.


Dolia : frænando renovat pars vincula Baccho,
Molli pars ſtupâ rimas obducit hiantes ;
Tum puras infundit aquas , intuſque catenâ
Fæcem agitat : putres verſo cadus ore liquores
Evomit , & ventrem repetitâ aſpergine purgat.
Inſtantem Bacchæo operi ne fœmina ſponſum
Contempletur iners , uvis ſed cuncta legendis
Condictam paret ante diem : de vimine textos
Expediat calathos , Vitemque perambulet omnem ;
Imbribus ut nullis corruptas prælegat uvas ;
Provida quas Hyemi ſervet menſiſque ſecundis.
Interea duplicet pia vota , Deumque precetur
Sit tranquilla dies , ſudumque per aëra purus
Sol eat , & madidis aliò Notus avolet alis.
Maturas pluvius quid ſæviat Auſter in uvas
Vidimus heu ! animis necdum dolor excidit ægris :
Nuper enim dulces cùm jam matura ſapores
Uva daret ; nigro concreſcit in aëre nubes ,
Quæ trepido , magis atque magis denſata , Colonos
Exanimat terrore : ſinu quid devehat atro
Neſcia plebs , Cælum gemitu , raucoque fatigat
Ære ; ſed obſcuros non æra ſonantia nimbos ,
Non gemitus , non vota fugant : furit horrida nimbis
Tempeſtas : tonitru montes quatiuntur ; & aër
Non intermiſſis micat ignibus : omnia paſſim
Imbribus arva natant ; nec dira tonitrua , Cæli
Turbida nec facies , neque plauſtris invia tellus
Venales tenuere animas. Pluvialibus uvæ
Pene putres miſcentur aquis ; magnoque labore ,
Sed tenui legitur ſordens vindemia quæſtu.
Triſtis erat vino facies , ingratus in ore
Tentantum ſapor , & vires in pectore nullæ.
Si quis ineſt lento elicitur nunc ſpiritus igne ;
Stillatum ſed & ipſe vapor denſatus in imbrem ,
Frigentiſque

Frigentiſque fluens ſinuoſa per ora lebetis,
Signa luis manifeſta refert: nam nec ſapit ori
Nec ſtomacho calet, admotos nec ſuſcipit ignes.
Ne properate tamen dubii formidine Cœli:
Et vos in populum quibus eſt permiſſa poteſtas, VINDEMIA.
Invitis etiam date pocula læta, graveſque
More Patrum pœnas indicite, ſi quis acerbos
Præproperus legat ante diem de Vite racemos.
Mox ubì tempus erit, notos det buccina cantus,
Imperet & toto Baccheos rure labores.
Ac veluti miles, cùm proximus imminet hoſtis,
Intentus belli ſigno parat arma, nec audet
Injuſſas miſcere manus, & vellere ſigna;
Antè canat quàm rauca fero tuba murmure pugnam:
Sic ubì jam matura vocat vindemia Cives,
Et Dionyſiacum cecinerunt cornua bellum;
Ferrum omnes dura ſubigunt in cote, virique
Et matres armantur: eunt diverſa manipli
Per loca: ſtridentes ſubeunt, & agreſtia currus
Arma vehunt: collo cava tintinnabula jactans
It Sonipes, latèque ſonantibus ilia vaſis
Verberat, & reſono ferit aurea ſidera pulſu.
Urget amor prædæ: ſtructum procedit apertis
Agmen agris; jamque apparent Baccheïa longè
Caſtra, racemiferas quadro queis ordine Vites
Explicuit, viridique Deus munimine ſepſit.
Pampineis ſpecioſa virent tentoria velis,
Et matutinum ſudo bibit æthere rorem
Uva ſuâ ſub fronde, mali ſecura futuri.
Ruſticus interea propior jam Vitibus inſtat;
Foſſarumque moras ſuperat, ferroque recurvo
Pandit iter, ſepes & propugnacula rumpens
Spinea: (1) Feciniam, Rhodias, Mareotides albas,

(1) *Variæ uvarum ſpecies.*

Cædit, & Argites, Pſythiamque brevemque Lagæon
Altera comprenſas manus attinet, altera curvo
Colla ſupina ſecat ferro: non parcitur ulli;
Non omnes tamen una manet fortuna: calenti
Demerguntur aquâ, queis grandior intumet alvus;
Atque ut longa levent olim jejunia, Soles
Ad tepidos ſiccantur; agris non pejor in ipſis
Pars teritur ſub dente: domum pars fertur, & altâ
Vel pendet trabe, fictilibus vel conditur ollis.
Uda trahunt alias ad calcatoria: nudis
Stat pedibus, paliſque manus armata Juventus;
Inque Chorum ſuper inſiliunt, avidoque fluentem
Jam potant animo laticem, merſiſque bibaces
Delibant digitis, & in annua pocula ſervant.

Digitized by Google



PRÆDII RUSTICI
LIBER XI.
Vinum.

HACTENUS in ſterili ſatis eluctatus arena,
Et fodere, & ferro lætas compeſcere Vites
Edocui, falcem tractans, duroſque ligones.
Nunc cratere manum armatus, nunc ſordida muſto
Vaſa gerens, cellas & ſubterranea Bacchi
Hoſpitia ingredior. Proh quanta ſilentia! quantus
Horror ineſt! lato pendet curvamine fornix CELLA VINARIA.
Luce carens, fumoque niger: ſtant ordine longo
Dolia, quæ Culicum globus obſidet; atque bibaci,
Guttula ſi qua meri coſtis dependeat, ore
Sugit, & in varios circumvolat ebrius orbes.
(1) Bacche ſoporiferos qui languida membra per utres
Projectus, ſtrepitu procul otia ducis, inertem
Excute quem proflas alto de pectore ſomnum:
Fare age dic iterum, quæ ſenſibus hauſerat imis,
Cùm te ſepoſita quondam de rupe docentem

(1) *Bacchi nomine vinum ipſum intelligitur.*

CELLA VINARIA. Audiit Aoniæ contemptor Horatius undæ.
Tu quoq; (1) Phœbe pater, mecum per opaca locorum
Ingredere, ignotos audax recludere fontes:
Non te Baccheis Pindi ſacra culmina cellis,
Pieriosque mero latices mutaſſe pigebit.

Imâ parte domûs ſub fornice lignea primùm
Vaſa, racemiferis & calcatoria plauſtris
Obvia conſtitues. Uvis iligna premendis
Surgat utrinque arbos in ſpiram torta, gematque
Tranſverſi valido nitens ſub pondere præli.
Grandior accipiat calcatos cupa racemos,
Et per multifores manantia vina canales
In vacuas operâ facili defunde diotas.

Horrea ſub terris lateant, quò Sirius ardor,
Inſanæ quò vis Hyemis, Cælique tumultus
Non penetrent: nam ſi tonitru concuſſa tremiſcunt
Dolia, pallentem Bacchus formidine vultum
Induet, & nullâ color emendabitur arte.

At neque fulmineos tormenta imitata fragores
Imperturbatus cellis Lenæus ab altis
Audiet, emoto neque plauſtra ſonantia vico:
Illius & vires franget novus hoſpes ab Ulmis
Deſcendens, ævoque ferox, qui murmure cæco
Perſtrepit, impatiens vinclis arctoque teneri
Carcere: fumoſus ſpurco vapor exit ab ore;
Spumaque Roboreas circumfluit albida coſtas.
Hunc aliis ſepone locis, dum concoquat iram,
Et poſito clauſus diſcat requieſcere motu.

Horrea ſint ſtabulo procul & torpentibus undis;
Nec putris Arvernos propè caſeus afflet odores:
Neve cados ſuppone cadis: admittere poſſint
Intervalla manum, ſubitis quæ caſibus adſit,

(1) *Phœbus ſumitur pro furore Poëtico, quem vino excitari aiebat Horatius.*

Inſerat ut rimis ſtupam; cùm plena Lyæo
Dolia laxatâ laterum compage dehiſcunt.
Cæſareis, ſi vera fides, data meta triumphis,
(1) Urbs claro quæ nomen habet de monte, ſub ipſa
Digna mero meliore cavat cellaria rupe.
Non opus hîc gelidis reſtinguere pocula lymphis:
Ipſa ſuo ſtupidos exurdant frigore dentes
Vina recèns deprompta cadis. Devota Lyæo
Explicat in cellis totos Germania luxus.
Eſt ubi Tænario fulgentia marmore Bacchi
Tecta micant, auroque nitet veſtita ſupellex.
Læta procùl pictus præbet ſpectacula fornix:
Hinc tremula Ebrietas, & Inertia mollis, edaces
Sub pedibus curas, Regumque negotia calcant.
Hinc furor in montes Bacchas agit; inde biformes
Centauri Lapithis vacuo cratere minantur.
Hinc acino ſpretæ pœnas dat (2) Anacreon uvæ,
Faucibus hærentem multo conamine peſtem
Extrahere incaſſum tentat: Lenæus amori
Poſthabitos paſsâ cyathos ulciſcitur uvâ.
Parte aliâ flexâ in cubitum cervice recumbit
Ennius, & ſecum dicenda recogitat arma:
Stat ſcyphus ante oculos; & turgida vena Lyæo
Carminibus fluit. Ipſe adeo cratera rubentem
Democritus media retinens in morte, cadentis
Supremos animi quærit mollire labores.
At Bacchus poſitis medio ſub fornice menſis
Aſſidet, ornatus frontem pendentibus uvis:
Olli venter obeſus iners abdomine turget;
Et micat os qualis vento rubet aurea Phœbe:
Hinc poſiti calices, hinc cantharus: ebria circùm
Turba ſedet, nudata ſinus, ſimiliſque canenti:

CELLARUM ORNAMENTA IN GERMANIA.

(1) *Clermont dans l'Auvergne.* (2) *Anacreon Poëta Lyricus acino ſtrangulatus interiit.*

Pars crinali Hederâ, vernis pars floribus udum
Implicuere caput: rubeis baccata renidet
Frons papulis, oculi languent, it gutture flatus
Craſſior, & læto color enitet igneus ore.

Vana loquor: cellis alias impendite curas
VINUM Agricolæ: neque enim auratis meliora diotis
Vina fluunt: decora ipſa loci ſint dolia leni
Plena mero, non argento perfuſa nec auro.
Gallicū. Noſſe juvat quo nata ſolo, quos ſordida tinxit
Uva pedes; aliis aliam dat Gallia terris.
(1) Cociacis oritur Liber generoſus in agris,
Firmus Burdigalæ, Bliteræ mitiſſimus, aſper
Lutetiæ: (2) rupes ab Eremo dicta ſaporem
Conciliat vireſque facit: Campania mollem
Educat, auſterum Burgundia, (3) Belna ſeverum.
Lene merum (4) Ripis nomen quod ducit ab altis
Cruda coquit nimiùm pranſis alimenta: Cadurci
Vina probant ſuccoſa, quibus tabentia pallor
Ora notat: ſi cui placeant (5) Velauna, (6) Neracum
Oderit, atque tuos amet idem, Arvernia, colles.
Græcum. Græcia floret adhuc, quanvis abſtemia, Bacchi
Muneribus; ſi cura virûm telluris avitam
Italicū. Excierit cultu laudem: creat Itala tellus
Ut (7) molles animos, ſic mollia vina, feroces
Hiſpanū Et Baccho & populis inſpirat Iberia mores.
Germanicum. Robur utriſque facit Germania; corpora bello,
Vinaque progenerat menſis generoſa, ſenectam
Quæ ſervata ferunt, laudemque ætate merentur.
VINUM *rubrum.* Altera vina rubent, albeſcunt altera: multus
Inter rubra color diſtinguitur: optima ſunto

(1) *Coucy.* (2) *Vin de l'Hermitage.* (3) *Baune.* (4) *Riveſaltes.* (5) *Le Velai.* (6) *Vin de Nerac.* (7) *Vinum molle dicitur quod ſuave eſt & nihil habet aſperi. Virg. Mollis animus aſpera & difficili opponitur apud Ciceronem & Ovidium*

Quæ carbunculeos ignes imitantia, plenis
Scintillant pateris, & lætam ſuaviter acri
Afficiunt ſenſu linguam. Vehementia triſtis
Calculus, & querulæ inprimis odere podagræ.
Vatibus, & placidæ ſectantibus otia vitæ
Mollia vina placent, ſtomachoque facillima vinci,
Muſtea continuò tentant caput, aſpera fraudem
Diſſimulant, & ubi linguam vinxere pedeſque,
Vix redit exactâ libertas nocte: palatum
Tenuia delectant, ſed habent mutabile ſemper
Ingenium: via longa mari terriſque colorem
Fuſcat, & imminuit robur: vectura ſevero
Dat vires pretiumque mero. Sic debile corpus
Obruit & validos labor idem roborat artus.
Æquoreos hinc per curſus, exercitus æſtu,
Ad ſua nobilior peregrè redit horrea Bacchus.

Dulcia languentes morbo, generoſa valentes *Album.*
Vina beant, violenta viros, molliſſima matres:
Candida non tolerant longos æſtate calores;
Frigoribus, poſitâ vix fæce, bibuntur: ab albis
Optima ſunt quæ vina fluunt (1) Apiana racemis: *Apianû.*
Dulcis in ore ſapor vivaxque in pectore virtus.
Non humus hanc omnis feliciter educat uvam
Quæ genus & nomen ſervet: frigentibus agris
Humentique ſolo, mellitum oblita ſaporem
Exoritur: favet huic regio Bliterenſis, & orbis
Jam canit extremus quos (2) Frontiniana racemos
Præla domant: miti Baccho mitiſſimus aër *(Ubi de Bliteræ Urbe.)*
Dulciaque arva placent: atqui Bliterenſibus oris
Cæli ſeu faciem ſpectes terræque, virûmque
Ingenium, nihil eſt toto clementius orbe.
Hinc vetus eſt vulgi dictum, ſi rurſus Olympi
Affectet ſuperas humana ſuperbia ſedes,

(1) *Vin Muſcat.* (2) *Muſcat de Frontignan.*

Providiſſe Deos Bliteram, doniſque viciſſim
Ornaviſſe ſuis. Dat Jupiter aëra purum,
Sol lætas ſine nube dies; naſcentibus ultro
Terra parens toto ſe floribus induit anno.
Non ſatis eſt Oleis campos veſtiſſe Minervam;
Juſſit inexhauſtos oleum quoque currere (1) fontes;
Ipſe ſuas animos hominum formavit ad artes
Delius; & ſi quid ſapiunt mea carmina Vatem,
Hanc mihi cara dedit cum ſanguine Patria laudem.

Littore Neptunus medios ab utroque per agros
Ad Bliteram ſibi fecit iter, mirante Colono
Ire novos campis fluctus, monteſque per ipſos
Eoïs gravidas opibus tranſnare carinas.
Laudatum mihi nuper opus; nec gratia laudum
Nulla fuit: viſus ſibi carmine clarior Alveus
Reſpondet meritis; vectigaleſque Poëtæ
Sternit aquas, & vina vehens Apiana, tributi
Libera, divino gravidam mihi nectare navem
Accelerat; quanquam Zephyrus ſpirantis amœno
Captus odore meri poſitis flat ſegnior alis.

VINA MEDICATA.

Quàm varios dicant mentiri vina ſapores
Quis referat? ſunt qui cupis uvamque, pyrumque
Et pomum jubeant mixtos confundere ſuccos.
Sunt qui prævalidum ſaccis mollire Lyæum
Non dubitent: alii contrà languentia calce
Vina movent; vireſque, & dulce ſaporis acumen
Idæâ ſtimulant pice, mordacique Synapi.
Ille cadis Arabum melles infundit odoras,
Atque novum Caſiâ medicatur & Iride vinum.
Pelliculis alius citreis, moroque rubenti
Quem Baccho natura negat, facit arte colorem.
Fagineis Matres vittis, aciniſque racemi
Auſteros, didicère meri compeſcere guſtus.

(1) *Gabianus fons in agro Bliterenſi oleo ſtillat.*

Divitibus quicumque volet fucata venenis
Dolia corrumpat: tu purum à Vite Lyæum
Semper ama: medicata placent, ſincera ruentem
Vina fovent ſtomachum, pallentes corpore morbos
Et fraudes animis & edaces pectore curas,
Fœdaque vaniloquis abigunt mendacia linguis,
Et retegunt mentes dubia ſub fronte latentes;
Illimi velut ora refert fons vitreus undâ.

Vini laus.

Humanas ſcelerum labes ultricibus undis
Eluerat quondam legum non irritus author;
Cujus adhuc monumenta manent inſignia cladis:
Monſpelii nam ſaxa ſolo qui ducit ab alto,
Æquoreis mixtam Conchis agnoſcit arenam
In lapidem riguiſſe: alvei regalis ad oras
(Amnis ubi fluit effoſſo ſub monte) pateſcunt
Hæc quoque cedentis retro veſtigia ponti,
Signaque diluvii: neque enim Conchiſque marinis
Et ſabulo, quod utrinque vides, ſuperaddita tellus
Huc aliunde vehi potuit. Cùm naufragus olim
Orbis aquâ latuit; noſtris deſedit in agris
(Qui tunc pontus erant) de montibus undique limus
Debacchante mari raptus; congeſtaque Gallis
Terra plagis, humiles pelagum inclinavit ad Afros.

(Ubi de diluvio.

Omnia vaſtatis ergo cùm cerneret arvis
Deſolata Deus; nobis felicia vini
Dona dedit; triſtes hominum quo munere fovit
Relliquias, mundi ſolatus Vite ruinam.
Illius edocuit cultus uſumque Noëmus;
Quem ſuperis malè grata Deis aſcivit, Iacchi
Nomine, poſteritas. Primus de Vite reciſas
Fixit humo plantas; ſarmenta fluentia ferro
Abſcidit, & largo juſſit pubeſcere fœtu,
Calcatiſque pedes hominum ſordere racemis.

Et de Noëmo primo vitis cultore.

Felices Aſiæ primùm ſata Vinea colles

Vitis ex Aſia in Græciâ Italiâq; ac demû in Galliam propagata.

Veſtiit : Argolicos illinc propagine fauſtâ,
Mox Italos ditavit agros : Baccheïa nondum
Munera noſcebant Galli, cùm prima tulerunt
Bella per Auſonias, ſuperatis Alpibus, oras:
Qui primi venere, ſuos ſpe divite Cives
Ut patriâ procul elicerent tellure, nec aurum
Nec reliquas telluris opes, ſed nobile vinum
Devexere : ſcyphis, rauco non ære, vocarunt
Magnanimos ad bella viros, non ſigna ferentes
Altera, quàm calices : illâ mercede placebat
Ire nives inter medias, & ſanguine fuſo
(Præmia militiæ) generoſum quærere vinum :
Tanta ſcyphis inerat vis & facundia plenis.

De moderato vini uſu.

Infido tamen, ah ! nimiùm ne crede liquori :
Vina repertori nocuere, ſuoque Noëmus
Exemplo docuit donis cæleſtibus uti
Parciùs, in cyathos ipſam neque mergere mentem.
Africa gens capit immites dulcedine vini,
Quas neque fraude Feras potuit nec retibus ullis
Fallere : non alias amor inſidioſus ad artes
Vertitur, ut captos in vincula ducat amantes.
Tu puer inprimis moderatiùs utere vino ;
Nec mala pallentum juvenilibus inſere nervis
Semina morborum, quibus affli&abere quondam.
Pocula miſta ſeni fas eſt odiſſe, meroque
Corporis effœti vires retinere fugaces :
Affuſis ſed ament pueri frigentia lymphis
Vina, nec adjectis irritent ignibus ignes.

DE EBRIETATE.

Qui diras acies & Martia bella ſequuntur,
Muſarum qui caſtra colunt, fallacia vina
Formident : nugas Vates effutit aniles
Ebrius, at contrà parcè cùm potus ad arma
Proſiluit dicenda, ſacro ceu Numine plenus,
Nil mortale ſonat, grandi ſermone ſed altos

Eloquitur ſenſus animi, ſecumque quietâ
Pace fruens, ciet audentes in prælia dextras.
Projicit & vitam fortis poſt ſobria Miles
Pocula, confertoſque ruit metuendus in hoſtes;
Atque idem nimio venas inflatus Iaccho,
Vix gladium manibus tenet: intra viſcera peſtis
Indigeſta furit, fumoſque obducit inertes.
Fluctuat in varias ſibi mens malè conſcia partes:
Stantque, labantque pedes: humeris languentia pendent
Brachia; deformique graves ſub fronte tumeſcunt,
Et geminos oculi mirantur in aëre Soles.
Vulgus ad hæc ſtupeat rerum portenta, latentes
Muſa doce cauſas, & ſi licet erue verum.

Quâ ſe vi moveat, quâ ſtet compagine corpus:
Diſſipet humanos ut ſe cibus omnis in artus,
Omnia jam vulgata: dapes à fæce ſolutas
Sanguinis hoſpitium vehit in commune canali
Lactea vena brevi: cor dein cum ſanguine vitam
Diffundit, totique facit commercia moli.
Tum veluti lentis Bacchi dum Maſſicus humor
Decoquitur flammis, lateri frigentis aheni
Hæret, & in tenuem ſe colligit halitus imbrem:
Non aliter toto fertur dum corpore ſanguis,
Atque per anfractus & tenuia cola meando
Perficitur; levior cerebro pars hæret, & illinc
Mentis ad arbitrium nervos effuſa per omnes,
Corporeos artus movet, & fidiſſima rerum
Nuntia, ſupremam reſilit quaſi mentis ad arcem;
Ut vario doceat pulſu (quo molle cerebrum
Concutitur) quæ res affecerit extera ſenſus.

Scilicet has animis æterno fœdere Numen
Impoſuit leges: aures & lumina; vitæ
Sic dedit eſſe duces: at munera ſi quis Iacchi
Tranſiliat; nimius vino qui ſpiritus hauſto

DE EBRIETATE.

Elicitur, nervos præceps irrumpit in omnes,
Itque reditque frequens, turbataque fœdera rerum
Miſcet agens; & dum nullis per membra recurrit
Imperiis, cerebrum ſine lege ſine ordine pulſat,
Fallacique vagam deludit imagine mentem:
Hinc animos poſt vina brevis dementia mutat,
Atque incompoſitos dant ebria corpora motus.
Ingeniis etiam tormentum lene Lyæus
Admovet, & mores hominum recludit opertos:
Nam facili bilis quibus intumet acrior irâ,
In furias & in arma ruunt: qui ſiccus inanes
Mente jocos agitat, tremulo quatit ilia riſu
Ebrius, & lacrymis oculos humectat obortis.
Balbutit ſine fine loquax, & inebriat aures.
Quippe ſuas ſequitur leges Natura; viaſque
Quas ſolet ire, novo ſanguis violentior auctu
Ingreditur nervos; neque mens obſiſtere contrà
Jam valet: ut quando tumet imperioſius æquor,
Remigis officium ceſſat; nec vela magiſter
Arte regit: ventis diſcordibus acta phaſellus,
Ludibrium maris, incerto vaga fluctuat æſtu.
Uda Roſis veteres Danai per tempora nexis
Corycium vel dente Crocum Raphanumque terentes,
Quæſierint riguos ſolamen inane per hortos;
Tu ſi quando mades vino, numerumque lucernis
Acceſſiſſe vides, & tecta trementia volvi;
(Dum ſtomacho Bacchi tacitus deferveat ardor,
Et membris mens ſana tuis commercia vitæ
Libera reſtituat) ſi quid ſapis, occule cæcâ
Nocte probrum, facili dans languida membra ſopori.
Pœna tamen manet uſquè: vigil flacceſſere nervos,
Et torpere gravi caput experiere dolore.

(Ubi de Cafeto.)

Ut medeare malo, non eſt præſentius ullum
Auxilium, quàm ſi terris faba miſſa Sabæis

Intumuit

Intumuit nitidos ſartagine toſta per ignes,
Tritaque mox validis intra mortaria pilis,
Diluitur lymphâ, facilique parabilis arte
Vulcano coquitur; donec vas pulvis ad imum
Venerit, & poſito manſueverit ollula motu.
Fictilibus rufos pateris defunde liquores:
Adde peregrina dulces ab arundine ſuccos;
Ora ſapore calix ne triſtia lædat amaro.
  Divinos alium latices adhibebis in uſum;
Seu longas opus eſt ſtudiis traducere noctes;
Sive graves capiti tenebras induxerit Auſter;
Seu nocuere dapes: illo medicamine Vates
Ingenium emendet, lætuſque infecta reſumat
Carmina; nec fontes alios, quibus ora Poëtæ
Proluerint, fluxiſſe ſolo malè credat Achivo.
  Græcia fœlices Arabum dominata per oras,
Caſtalium nobis non invidioſa liquorem
Huc dedit uſque: lucri nunc dira cupido repreſſit.
Aonios fontes, quorum vice currere juſſit
Ingratos ſine vi latices; quæ pocula terris
Barbariora ſuis America remittit, ademptas
Occultis, ni fallor, opes ultura venenis,
  Cùm dederit fluidos ultro vindemia ſuccos:
Injectâ ne rurſus aquâ turgere racemis
Folliculos jubeas: lucrum non artibus illis
Grande paras: malè potus obit malè munia ſervus.
Antiquos imitare modos, præloque madentem — VINUM TORTIVUM.
Subde racemorum fæcem: quæ vina ſuperſunt,
Craſſa quidem, duro ſed non ingrata Colono
Purpureis ibunt per torcularia rivis.
  Non longum poſt tempus ubi diffuſa laceſſent — OCCLUDENDA DOLIA.
Muſta cados; levibus ſtupis, & ſubere ſummum
Os operi, ſi vincla tenent fortiſſima Bacchum;
In tenues levior ne ſpiritus avolet auras,

Depereatque mero robur. Cùm vina quierunt
(Ne ſpatium ſit inane cadis) ſupplere recentem
Non pudeat lympham ; fundum quæ trudat ad imum
Quidquid ineſt fæcis , nimioſque attemperet æſtus.
Robur & ambroſium dabit ætas una ſaporem.
Ac veluti puer , in primis quaſi muſteus annis
Nil ſapit ; at veros ævi maturus honores
Conſequitur , calidus poſtquam deferbuit ardor :
Sic niſi deſierint bullire , vel aſpera promes
Vina cadis , dulcive rues præcordia mulſo.

Dolii ſpiramentum.

Hauſurus rubeos latices , ubì dolia ferro
Quis terebrat , ſuperis aperit ſpiracula coſtis ;
Circuitu quà ſe facili circumfluus aër
Inſinuet : nam cùm ſolido pleniſſima Cælo
Omnia claudantur : ſpatiis niſi prompta relictis

(Ubi de vacuo.)

Aura ſubeſt ; ſtant vina cadis ſuſpenſa foratis :
Uſque adeo natura locis ab inanibus horret ;
Ut cecinere Sophi veteres ; ænigmata rerum
Qui tacitis odiis & amoribus omnia ſolvunt.
Sed quia tranſmiſſo corrumpitur aëre vinum ,
Spiramenta cadi craſſo ſalis obſtrue grumo :
Ut ſi quid labis Cælo collegerit , omnem
Exuat aura , ſalis per acerbos torta meatus.

Vinum aqua mixtum

Perfidus an mixtâ Caupo jugulaverit undâ
Lene merum , ſi noſſe velis ; lita prodet Olivo
Canna tenax hærentis aquæ , juncuſque paluſtris
Qui cyatho merſus lymphâ ſe proluit unâ ,
Vivaque calx mixtis ignem quæ concipit undis.

Vini transfusio.

Vere novo cùm terra ſinus tepefacta renatas
Arboribus frondes , animamque virentibus herbis
Suſcitat ; excitâ turbatur fæce Lyæus ,
Mutatis niſi cura fuit tranſfundere teſtis.
Hanc etiam cellis inimica Canicula peſtem
Afflat , ubì tepido tenebroſa volumina Cælo

Torquet ab auſtrali ſpirans Notus humidus axe.
Continuò facies apparet lurida, triſtis
Fragrat odor, neque ſcintillans volat ignea ſurſum
Flammula, ſed pateris languet ſine robore vinum.
Humida fæce gravem purgant vinacea Bacchum;
Sed non longa ſalus: furit immedicabile morbi
Semen; & in tetros recidit mala vappa ſapores.
Si medicas adhibere manus contemnis; acere
Sponte ſines, acidi nonnulla eſt gratia vini.

VAPPA.

ACETUM.

Quos curare nequit potuit prævertere morbos
Vinitor, ad Solem nudas, exudet ut humor
Noxius, oſtendens uvas, collove retorto
Maternâ pendere ſinens de Vite racemos.
Æquoreis prodeſt cupas detergere lymphis;
Defæcare merum faccis, accendere ſulphur,
Et ſuffire cados, & fundere vina, priuſquam
Sulphureos Cælo ſpargant nova dolia fumos.

Tempeſtiva tamen niſi carpitur uva, medendo
Non tolles quos cruda feret vindemia morbos:
Hinc laudem ſperate viri: cùm ſemina ſulcis
Credere tempus erit, lætas vel in horrea fruges
Condere, rem totam liceat permittere ſervis:
Dulcia ſed rauco ſpumant cùm muſta ſuſurro,
Tunc Domini vigiles rus & vinaria cella
Depoſcunt oculos. Toto labor utilis anno
Paucorum minuat, ſi quæ ſunt rure, dierum
Tædia: non aliâ rus tempeſtate voluptas
Purior exhilarat: nunquam vel ditior annus,
Mitior aut Cæli tempeſtas: frigore Corpus
Nec riget ignavo, nec inerti ſolvitur æſtu;
Urbaniſque gravem curis lætiſſima mentem
Exonerat ruris facies: non divite cultu
Villa nitet; ſed divitior Natura per agros
Explicuit paſſim, multo quod in urbibus emptum

VINDEMIAS ADMINISTRARE DEBET PATER FAMILIAS.

Ære, coloratis ars deterit æmula tectis.

Ubi de Ruſticatione & amænitate Ruris.

Rure vides quæ picta placent, audiſque canentes
Quas urbanus hians Volucres in imagine mutas
Aſpicit: ille rudi ſylvarum imitamine paſcit
Lumina; tu nemorum gaudes viridantibus umbris;
Vel Cælum terraſque oculis emenſus, & aurâ
Liberiore fruens, ſoles aut frigora captas;
Fumoſa nec in urbe latens, & totius orbis
Exul agis triſtem, clauſus quaſi carcere, vitam.

Turba ſalutantum reſonas non obſidet ædes:
Sed neque tranquillos ſubit anxia cura penates.
Nullus adeſt teneros recitet qui mollis amores
Muſicus; Alituum ſed vocibus omnia latè
Arva ſonant, animis non inſidioſa voluptas:
Nulla tibi feſtis pendent aulæa theatris;
Sed nemus in ſcenæ faciem cum monte virenti
Deſcendens, & rivus agens cum murmure lymphas,
Flumina ſylvoſas vel decurrentia valles
Blandiùs oblectant oculos animumque vacantem.

Vos, animæ mundo natæ, quos juris & æqui
Publica cura tenet, veſtri quæ furta licebunt
Temporis, hæc vobis patrioque impendite fundo.
Cùm primùm rubet uva mero; mutate ſilenti
Rure Fori rixas, implacatoſque tumultus;
Otia permittit Themis autumnalia veſtræ
Quò liceat Viti celliſque imponere leges.

Præſidium Caulete Fori, ſacrique Senatûs
Laus & amor, quàm ſpecto libens te rure quotannis,
Pondere cùm rerum poſito, nec murice tinctâ
Veſte nitens, oris ſed majeſtate verendus,
Baccheum moderaris opus; vinaria legum
Te neque tutorem pudet inter labra videri,
Palladis & plenum ſtudiis Themidiſque, Lyæi
Patris ad agreſtes animum demittere curas.

Deliciæ populi, circùmſtat, ſordida muſto
Sed formoſa tamen ſoboles; patriæque docetur
Invigilare rei, diſcat dum grandior olim
Edictis vitâque magis defendere leges.

Tu quoque Muſarum ſequeris qui caſtra, relictis
Dolia pro libris agita: quæ vina parabis
Ingenium facient, & perdita tempora (chartas
Cùm repetes urbemque) tibi cum fœnore reddent.
Forſitan & ruris dulcedine captus, amabis
Lene viri ſtudium, quem fortunata colendis
Sors addixit agris; & qui ſibi cognitus uni,
Obſcuros numerat riguis in vallibus annos;
Permittitque ſuis humana negotia fatis.

Purpureas muſto madidus dum vinitor uvas
Colligit, & validi ſordentia plauſtra Juvenci
Contentâ cervice trahunt, ſtrepituque reſultant
Fœmineo colles; hinc atque hinc lumina volvens
Urget opus; curis vel feſſus agreſtibus altam
Ingreditur ſylvam, viridique recumbit in herba;
Vel legit obnixus trunco; vel carmina condens,
Miratur faciles ſecura per otia Muſas.

Veſpere ſi Turdus, ſi ſe ferat obvia Perdix,
Occurratve Lepus canibus; quàm gaudet inemptas
Ferre dapes, Leporiſque dolos narrare; per orbes
Implicitos ſeu ſigna pedum turbavit, anhelum
In ſua ſive redux veſtigia luſit Amilcham.

Cætera quid referam noſtro malè cognita ſeclo
Gaudia, ſemotis uni ſibi vivere curis,
Dicere nil quod pœniteat dixiſſe, maligno
Non carpi ſermone, metu palleſcere nullo,
Spes nullas agitare, graves nec volvere curas,
Nec ſteriles hominum laudes, nec vana morari
Præmia, ſecretos ruri ſed degere Cælo
Teſte dies, atque ipſa inter ſpelæa Ferarum

Et ſapere, & pravos urbis dediſcere mores.

O! mihi ſi placido ſolari rure ſenectam!
Si liceat blandas, doceo quas verſibus, artes
Exercere manu! nec in urbe ſuperba Potentum
Regna pati, neque jactari civilibus undis!
Quàm pia vivendi capiam præcepta, caducas
Res hominum breviore legens in flore; Deique
Admiratus opes, reduci ſeu Vere per hortos
Floribus in pictis rerum Natura creatrix
Ludat amabiliter variorum errore colorum;
Seu viridi in luco, vel culta per arva, laborans
Utiliùs, tenui magnos de germine truncos
Erigat; aut uno plures è ſemine culmos
Expediens, flavos tegat albis meſſibus agros.

Quid ſi Naturæ fas explorare ſagaci
Mente vias, alios & conciliare ſapores
Fructibus, aut alium dare floribus arte colorem;
Arboreos fœtus vel maturare, vel atræ
Frigoribus Brumæ vernos tranſmittere flores!

Hæc ego quàm lætos opera inter agreſtia condam
Rure dies! quò nondum auri ſitis improba ſecum
Et ſcelus & fraudes, inimicaque jurgia duxit;
Ales ubi timet una dolos; ubi turbida ſoli
Bella movent toto diſcordes æthere venti;
Martia nec ſomnos abrumpunt æra; nec alter
Auditur gemitus quàm Turturis; alter ad aures
Nec ſtrepitus venit, æquorei quàm ſibilus Auſtri,
Somniferum vel aquæ murmur per ſaxa fluentis.

O! nullo turbata metu pax hoſpita ruris!
Quando dies erit illa, volans quâ liber ab urbe,
Carcere ut ex longo, puras ſectabor agrorum
Delicias; & in obſcuro tranquilla receſſu,
Omnibus ignotus, nulli gravis, otia ducam;
Meque fruar, nec fata timens, ſuprema nec optans.



PRÆDII
RUSTICI
LIBER XII.
Aves chortales.

EXEGI quæ ruris erant: ſtat Villa ſalubri
Ædificata loco: ſuus eſt cerealibus arvis
Cultor, & agreſtum pecus auxiliare laborum.
Arboreis jam Poma rubent pendentia ramis;
Emicat irriguis Olus hortis: florea rivos
Prata bibunt: nitet alma Ceres: ſocialibus uvis
Exultat gravis Ulmus. Habes jam Ruſtice plenis
Condita vina cadis, miſſas & in horrea fruges.
Nunc ut inempta parem feſtis opſonia menſis;
Chortis Aves, & Apum cellas, ac luſtra Ferarum,
Atque Columbarum turres, piſcoſaque verſu
Stagna ſequar. Mihi proh! volucrum proh! quanta Ferarum
Obvia fert ſe turba! ſua de turre Columbæ
Dulcia certatim lætis dant murmura roſtris.
Binus Apum rutilis exercitus obſtrepit alis,

Bella ciens, iterumque cani ſua prælia gaudens.
Piſcis ad extremas pinnis adremigat oras:
Erigitur, tenſaſque Lepus mihi ſurrigit aures;
Plurimaque abjecto Fera libertatis amore
Mitis adeſt, placitoque volens ſe carcere claudit.
Se pictæ cervicis Anas, & garrulus Anſer,
Tardâ mole movent: habitu Gallina modeſto
Progreditur: collum Gallus criſtaſque rubentes
Erigit, & motis plaudit ſibi lætior alis.

PAVUS. Sed primos opere in tanto ſibi Pavus honores
Poſtulat: en pictas ut in orbem gemmeus alas
Explicat; & caudæ longo quaſi ſyrmate verrens
Atria, Gallinas inter Gallumque minorem,
Atque humiles inter Capos Anatumque cohortem
Fluctivagam, cunctis mirantibus, altior unus
Ingreditur; plumiſque tumens criſtâque ſuperbus,
Regia faſtoſæ jactat diademata frontis;
Seque amat inprimis, cùm per vernantia caudam
Prata rotat; varioſque trahens à Sole colores
Emicat, & flores rutilo fulgore laceſſit.

Condecoret Pavo ſtellantibus atria plumis,
Et vigiles agat excubias, ſuprema domorum
Culmina nocte tenens; pictæ det gemmea caudæ
Ornamenta Ducum galeis; det & aurea flabra,
Queis molles animant Zephiros æſtate Puellæ;
Romulidumque fames licèt ambitioſa decoras
Quæſierit Volucres epulis; tu pone ſuperbæ
Fræna gulæ: neque enim propter convivia Pavus
Naſcitur, at blando recreet qui lumina viſu.

Huic, laudum cupido magè quàm dapis, hordea tantùm
Vel Milium dabis, aut Vicias, aut vile Cuminum:
Odit enim campos avido pede nobilis Ales
Scalpere, & indigno victum ſibi quærere furto.
Cætera nil cures: quid enim tibi proderit ædes

Ponere, vel matri certos affingere nidos.
Hoſpita Pavonem ramis frondentibus arbor
Excipit; atque alios avis ambitioſa penates
Non habitat, magnas veteri quàm robore Quercus
Aut Platanos, quarum ſub tegmine tuta quieſcit;
Nil metuens; cæcâ niſi cùm caligine terras
Nox operit: pavidè nam clamitat, excita ſomno;
Atque per obſcuras, quem non videt ampliùs umbras,
Amiſſum queritur plumæ fulgentis honorem.
Pava ſuos ſylvis nidos abſcondit, & ultro
Incubat, ac mediis apparet rarior agris;
Ut modicam cererem properataque pabula raptim
Carpat; & ad caros redeat, ſua gaudia, Natos.
Nequicquam rutilis ſe ſe fert obvius alis;
Et rotat in varios corpus revolubile gyros
Pavus amans; pennæque levis blanditur amico
Verbere: nil formâ, querulo nil murmure, blandis,
Nil agit illecebris; & inexpugnabile pectus
Conjugis haud alio quàm prolis amore tenetur:
Illius indignans curas, viduoſque maritus
Impatiens ſic ire dies, flagrat excitus unâ
Jam rabie: non ore tamen, non vindice pennâ
Audet in oblitam thalami conſurgere Pavam:
Obſtat enim pia fœminei reverentia ſexûs,
Ignibus ova ſuis inimica requirit, & atro
Funere ſemianimes, & vixdum munere vitæ
Donatos perimit fætus; Natiſque recluſam
Oſtendens lucem, lucis pater impius uſum
Eripit: effræno tantùm eſt in amore furoris.
Id metuens dulcem fruticoſis fœmina partum
Abſcondit latebris, & longâ ambage viarum,
Circuitu longo, nemorum per inhoſpita veros
Diſſimulat calles; oculoſque per omnia circùm
Erigit, obſervans ne Pavus & ipſe viciſſim

PAVÆ INCUBATUS.

Occulta timidos ſpeculetur ab arbore greſſus.

PAVONINI PULLI.

Mox ubì Pullorum pars edita lucis in auras
Prodiit ; exultans ſucceſſu Pava , laborumque
Impatiens , reliquis non ampliùs incubat ovis :
Nec magis ardet iners malenata poëmata Vates
Edere , quàm Pullos Avis ambitioſa recentes
Geſtiat è latebris in apertum educere Cælum.
Continuò nemorum cæcos ſcrutare receſſus ;
Ovaque ſi reperis , formoſa Puella , teporem
Ne pudeat calidas intra ſupplere papillas ,
Maternaſque vices pulchræ conferre Volucri :
Cæſareo ſic ova ſinu tepefacta fovebat
Livia , regales gaudens excludere Pullos.
Nutricis partes etiam ſi fortè ſubire
Te pigeat ; Pavum reliquis adjunge novellum :
Accipiet , numeroque Parens lætabitur aucto.
Aſpice maternam quàm dulcia gaudia mentem
Pertentant ; ut amat ſobolis ſtipante catervâ
Prodire , & totâ plauſum ſibi quærere villâ.
Tum digreſſa domo per florea prata , per agros
Agmen agit , ſeroque redux jam veſpere , tutos
Sedula componit viridi ſuper arbore Pullos ;
Quò fallax nequeat Vulpes adrepere noctu.
Debilibus ſi non valeant conſcendere pennis ,
Ipſa Parens oneri ſuccedit , & explicat alas ;
Attollitque humeris : ortâ jam luce volantes
Deſiliunt ramis ; & turba ſi quis ab omni
Hæret iners , etiamque tremens , etiam inſcius alis
Poſſit an invalidis ſe credere ; mater ab alto
Dejicit , & primos jubet exercere volatus.
Criſtula cœpit ubì capiti ſuccreſcere , Pavus
(Ut pueri cùm gingivas aperire tumentes
Denticuli nituntur) humi jacet æger , opemque
Voce petit querulâ : manibus tu Villica blandis

Accipies ; vincenſque cibi faſtidia ; preſſum
Lac dabis ; & molli (neque enim fomenta dolorum
Altera) languentem victu ſolabere Pavum.
Non furtim Gallina ſuos villatica Pullos
Sic pariet ; totâ glociens ſed chorte dolebit ,
Et gemitu triſti nidis ablata repoſcet
Ova , quibus Genitrix vitam transfundat ; & artus
Informes animet , blandoque calore reſolvat.

GALLINÆ INCUBATUS.

Non tamen has nullo diſcrimine mater in artes
Eligitur ; ſuſpecta tibi ſit junior ætas :
Ingenium primo mutabile ſemper in ævo eſt ;
Neſcit & ipſa diu Pullaſtra immobilis uno
Stare loco : ſolers , uſuque exercita longo
Accipitur veterana : novem , vel plura Parenti
Subjicies , ſi plura ſinu complectitur , ova.
Si quid te miſeret glocitantum , merge ſalubri
Flumine : maternos vanis cum queſtibus ignes
Fluminis excuties ope frigidioris ; inani
Nec mœrore feres deſiderioque cubandi
Ovorum à partu matres ceſſare diurno.
Per roſtrum quoque pluma joco trajecta , querentis
Gallinæ cohibet gemitus ; & prolis aventem
Divertunt aliò dolor aut injuria mentem.
Hybernus gelido Boreas cùm ſpirat ab Axe ,
Irrita Gallinæ ſuppones ova cubanti :
Appoſitâ matri licèt auxiliabere prunâ ;
Imbelles tamen intereunt à frigore Pulli.
Sed neque venturæ ſoboli felicior æſtas :
Nam tonitru molles , operum primordia , fibras
Confundit , magno quatiens aviaria motu ;
Et ſi fortè ſilent nubes , non parcet iniqui
Stella proterva Canis. Naturam imitare magiſtram ;
Et cùm Vere novo per opacos pendula ſaltus
Tecta parant gravidæ Volucres , luteoque cubili

GALLINÆ INCUBATUS.

Intexunt molli junctas cum vellere plumas;
Tu procul à ſtrepitu nidos compone, recenti
Subſtratos paleâ: largus jace pabula circùm,
Oblitaſque ſuî matres hortare paratis
Ut vitam dapibus tueantur, & otia longo
Immiſcere velint operi, nidoque relicto
Incolumem Pullis animam ſervare fovendis.

Ova parens pedibus roſtroque invertit acuto;
Ut partes fundat ſeſe calor æquus in omnes:
Ni faciat; tu ſæpe rubro ſignata colore
Verſabis memor ova: tuis cave Villica Natis
Tale miniſterium, & tenues injungere curas.
Incautis puer imprudens, aviduſque ſciendi
Omnia contrectat manibus, matrique cubanti
Deformis Vetulæ magis oſſea dextra placebit,
Quàm pueri formoſa manus. Gallina protervum,
Voce ferox oculoque, niſi deterreat, ipſos
Aſſilit in vultus iratior, oraque roſtro
Figit, & ungue manus notat implacata cruentas.

PULLI GENERATIO ET CONFORMATIO.

Dum moror & nimio per ſingula verſor amore,
Vitalem interea ſenſerunt ova calorem:
Solvitur, & ſpatiis ab inanibus humor in auras
Avolat; inque dies magis ac magis inſita rerum
Semina concreſcunt, formas habitura morando:
Ac primùm varios genitabile germen in arcus
Dividitur, vivumque rudi molimine fœtum
Ædificat: geminas albo jam turgida ſucco
Bulla duplex oculorum acies meditatur: utrumque
Jam cerebrum emergit, mox unde medullula tractu
Continuo totos ſeſe diffundet in artus:
Sanguinei jam rubra micant primordia cordis:
Adjacet hinc illinc compages oſſea quondam,
Nunc moles informis, iners, ſimiliſque carinæ,
Quam trabibus manus artificis contexit acernis,

Nil

Nil apparet adhuc Volucris; mox omnia ſoles
Poſt quatuor manifeſta: pedes & mollia crura
Proſiliunt, humeriſque duplex adnaſcitur ala.
Prorumpunt oculi; caro contegit oſſa; caputque
Prodigiale tumet: cerebrum calvaria mollis
Induit; & longo facies producitur ore.
Jam rubet, & luteis differt arteria venis:
Jam rami trunco plures oriuntur ab uno,
Et toti faciunt vitæ commercia moli.
Ordine tum duplici coſtas Natura carinæ
Adjicit; & ne quid ſpatio claudatur iniquo,
Tegminibus nullis opera imperfecta coarctat,
Corda micant adaperta: ſuos hinc pulmo recludit
Folliculos, hinc cola jecur; dapibuſque coquendis
Ardet inextinctis mediâ focus ignibus alvo:
Nam croceum Pullus molli bibit ore vitellum:
Hinc alitur, rupto donec ſe carcere ſolvat.
Longa cibum plexo defæcant ilia tortu;
Primaque lacteolum trudunt in vaſcula ſuccum;
Unde novos iterum vitæ purgatur in uſus.
Hæc ubi jam confecta; ſuis accommoda membris
Pellis adeſt: ſtomacho cordis numeroſa ſupellex
Contegitur: cæco velans abdomine venter
Inteſtina capit. Teneram dum pluma Volucrem
Veſtierit, gelidis nondum committitur auris,
Sed jacet in ventrem medioque liquamine Pullus
Innatat; huic caput & truncus flectuntur in arcum,
Atque fatiſcentes pendent cum cruribus alæ;
Clauſtraque jam roſtro rupturus iniqua, putamen
Aggreditur, fractoque emergit lætus ab ovo:
Miratur lucem inſolitam, linguâque ſolutâ
Pipilat, & teneram cognoſcit voce Parentem.
Inque ſinus refugit tepidos, alimentaque guſtat
Mollia vel matris roſtro confracta molari.

PULLI GALLINACEI.

V

Ah! ne ſe nimiis ingurgitet helluo granis:
Indigeſtus obeſt cibus; & tu Villica molli
Sæpe manu preſſans, duram palpabis edacis
Ingluviem Pulli: ſi plenior intumet eſcâ,
Frænabis per longa gulam jejunia; donec
Confectus cibus in totos ſe diſſipet artus.
Ipſam autem caveæ clathris include Parentem;
Ne procul abſcedat villâ, prolemque tenellam
Longiùs herboſos agat errabunda per agros.
Non feret impatiens arcto Gallina teneri
Carcere: ludit enim circùm, gremioque fovetur
Progenies; humeroſque ſuper laſciva Juventus
Aſſilit, & roſtro maternas vellicat alas;
Bellaque ſi qua vigent, fratrum certamine gaudet;
Auxilii genitrix jam tum præſaga futuri,
Regnandam accipiant Galli ſiquando cohortem.

GALLINÆ IN PULLOS AMOR.

Exacto dein menſe Parens cum prole ſequaci
Libera vicinis circùm ſpatiatur in agris,
Rimaturque dapes quas eruit ungue; famiſque
Immemor ipſa ſuæ, Natos partitur in omnes.
Interea vigiles, prolis ſtudioſa tenellæ,
Circumfert oculos; & ubì ſuper evolat, alto
Pullorum exitium meditatus ab æthere, Milvus:
Continuò ſparſum clamoſa recolligit agmen;
Inque ſuis excors, bellique ignara periclis,
Pro ſobole aſſurgens animis, & prodiga vitæ
Demiſſis ad humum pennis (quo tegmine Pulli
Securi lateant) horrentibus hiſpida plumis
Colla caputque ferox levat in ſublime; duellum
Nec refugit, ſed voce minax, interrita lentum
Provocat & diris abigit clangoribus hoſtem.
Improviſa novo redeant ſi frigora Vere;
Villica flexibili calathos è vimine textos
Mollibus inſternat plumis; queis ſedula mater

Progeniem foveat pennis amplexa rigentem.
At non ulla magis teneræ metuenda Volucri
Peſtis erit, quàm ſi fauces pituita rigentes
Obſidet, & linguam cruſtâ veſtivit inerti.
Rumpe moras, Pullum manibus cape; molliter ægrum
Os aperi, facilemque ſequi radicitus aude
Pelliculam ſummâ tractim divellere linguâ.
Mox ubi jam teneros nutrit Pullaſter amores;
Bellaque diſcordes ſurgunt in mutua fratres,
Jurgia componens, ferro ſe Villicus armet,
Spemque maritalis thalami blandumque parentis
Nomen & officium tollat; menſeſque ſaginet
Poſt aliquot grandem mutato nomine Capum:
Hunc arctis clauſum ſpatiis, & luce carentem
Molle ſuper fœnum ſtatues, dilutaque lymphis
Hordea proſubigens, teretes formabis in offas,
Et largâ dabis uſquè manu, dum mole laboret
Ipſe ſuâ; & flavum niteat pinguedine dorſum.
Si qua ſuæ capiunt Gallinam tædia prolis;
Jam neque demiſſis riget ampliùs horrida pennis,
Nec ſobolem crebris ſingultibus anxia mater
Compellat glociens, neque circumducere gaudet:
Ad nova ſemimarem formabis munia Capum,
Orbatos qui matre greges nutritor adoptet.
Urticas adhibe, & plumis ſub ventre revulſis
Punge cutem: tacitâ impatiens prurigine Capus
Admittit molli tectos lanugine Pullos,
Qui gremium de more tepens, & amica ſub alis
Tecta petunt, plumiſque fricant naſcentibus alvum.
Pruritum ſtimuloſque levi miteſcere tactu
Sentit, & (ut Volucres quoque mutas inter amorem
Utilitas parit) officii non immemor, orbam
Accipit in prolem matris cum pectore curas,
Jamque ſuos gaudens per prata virentia Pullos

PITUITA.

CAPUS.

CAPUS. PULLORUM DUCTOR.

Ducit agens; & qui dominari matribus ipſis
Debuerat vir & cuſtos, uxoria ſpado
Plumiger officia, & maternas excolit artes:
Mollior & vocem glociens effœminat ipſam;
Nec pudet immemorem generis, ridente Colono;
Galle tuam matres inter deducere prolem.

ANSERINIS ET ANATINIS OVIS INCUBAT GALLINA.

Anſer Anaſque ſuos quanvis excludere Pullos
Optarint, tales neutri committite curas:
Æquoreæ languent Volucres, niſi corpora lymphis
Abluerint: & ubi pigras adiere paludes,
Vitalem reduces inimico rore calorem
Extingunt; ruptis exit nec Pullus ab ovis;
Aſt odor infeſtas latè qui polluit ædes.
Incubat, & nutrix Anates Gallina tenellos
Paſcit agris, donec turmæ piſcina vaganti
Obvia nativos fluviorum invitet amores:
Protinus & greſſu præceps humilique volatu
Deſiliens, ſtrepitu læto ſua regna ſalutat,
Ingrediturque vadum. Paſſis exterrita pennis
Clamat & alternas volitat Gallina per oras,
Audaces depreſſa vocans ad littora Pullos.
Nil minùs æquoreis pergunt colludere lymphis;
Et mergi, & fluidos humeris infundere rores,
Remigioque pedum, roſtroque agitare procaci
Flumen; & exiguis caput objectare procellis.
Diverſum ſtupefacta genus tum denique noſcit,
Et tacitum ſub corde premens Gallina dolorem;
Ad proprias ultro redit incomitata Volucres.

ANAS ET ANSER.

Illa licèt ſocium jam non agat ampliùs agmen,
Arva tamen jam grandis Anas herboſa gregatim
Paſcitur, & Cœlo Milvum ſi fortè volantem
Suſpiciat, caſus habilis prævertit acerbos:
Garrulitatis enim ſibi conſcius, ore lapillum
Mordicùs apprendens celerat, taciturque ſalutem

Amne petit, quo dum fluctu ſuſpenſus oberrat,
Per reſonas læto clamore tumultuat undas;
Ac Milvo veniente, caput demittit in amnem;
Et procul extat aquis, hoſtem fruſtratus ab alto
Delapſum, & madidis revolantem tardiùs alis.
Culta vagetur Anas per rura; ſed Anſer alatur
Præfecto cuſtode: ſatos nam morſibus agros
Demolitur edax, & adurit ſtercore prata,
Atque obluctatus ſolidis Anſerculus herbis,
Abrumpit miſerè collum, morienſque voraci
Gramen in ore tenet nondum tellure revulſum.
Mutuus amnicolas conſtanti fœdere Pullos
Jungit amor: ſimul herbiferis ſpatiantur in agris,
Turmatimque lacus & dulcia balnea quærunt.
Non ea pullaſtros pax & concordia Gallos — GALLORUM PRÆLIA.
Colligat: æternas exercent unguibus iras;
Atque ubi rivales inter majora moventur
Pro gregis imperio, dulci pro conjuge bella;
Nec dominum nec habere parem criſtata Volucris
Jam patitur; fixumque manet vel ſanguine regnum
Quærere, vel claro vitam committere fato;
Non ſylvas non antra petunt ſecreta, ſed ipſas
Inter chortis aves, quarum præſentia vires
Extimulat, placet ancipiti contendere bello.
Colla rigent hirſuta jubis, palearia mento
Dira rubent: pugnæ præludia nulla, ſed ambo
Partibus adverſis facto ſimul impete duris
Pectora pectoribus quatiunt, hoſtilia roſtris
Roſtra petunt, ſtrictoſque repulſant unguibus ungues.
Avulſæ volitant plumæ: cruor irrigat artus;
Necdum odiis, iræque datum ſatis, horrida necdum
Bella cadunt, domitum victor dum ſtraverit hoſtem,
Ductaque pulſet ovans plaudentibus ilia pennis,
Et ſublime caput circumferat, atque triumphum

Occinat, & vacua ſolus jam regnet in aula.

GALLI GALLINACEI HABITUS.

Olli grande decus majeſtatemque verendam
Conciliant & qui fronti ſupereminet altæ
Faſtigatus apex, calcaria quæ ſimul armant
Exornantque pedes, & quæ per colla per armos
Aurea ſplendeſcit latè juba, quæque rubentes
Barba tegit fauces, & non dejecta, ſed altum
In caput, inque humeros erecta volumina caudæ.
Acer & in Libycis Leo formidatus arenis
Horret ad aſpectum Galli; nec ſiſtere contrà
Auſit, ubi ſævas ſe martius Ales in iras
Et plauſu laterum cantuque hortatur acuto.
Nil ſibi ſed pavidæ Volucrum timet omnia turbæ;
Et vigilem dubius ſi quis fragor impulit aurem;
Circumfert oculos, levat ardua colla, ſuoque
Securas jubet auxilio conſiſtere matres.
Ille ſuas etiam curas impendit alendis
Conjugibus; pedibuſque ſolum rimatus aduncis,
Abſtinet inventâ vir & pater optimus eſcâ,
Et teneræ victum ſoboli ſponſiſque miniſtrat.

GALLUS INDICUS.

Majores habitu Galli, quibus Indica nomen
Fecit humus, potuere novum dediſcere Mundum
Non patrios mores & libertatis amorem:
Nam Dominos odere duces, odere Tyrannos;
Et ſi fortè jocos agitans in valle reducta
Alituum cuſtos, quaſi Regni inſignia, chartam
Alliget ad Galli collum; plebs excita circùm
Infremit, intentatque minas, & candida mordax
Colla petit; vanos roſtro dum vindice faſtus
Auferat, & raptis per mutua vulnera clarus
Exuviis, alto circumferat ore papyrum.
Inda ſui nec amore viri Gallina nec ullis
Tangitur illecebris; cupidus licèt ille placendi
Uxorem, quæ gramen humi detondet, amanter

Circumeat, plumis viſus ſibi pulchrior hirtis;
Contractoque tumens collo, rubeâque ſuperbus
Ingluvie, curvum pendente proboſcide roſtrum
Contegat, & partes tumidus ſe verſet in omnes,
Dein ululans longis ſingultibus aëra rumpat.
Pava ſuum contrà ſic diligit anxia Pavum,
Conjuge defuncto moriatur ut ipſa; tuoſque
Phædra, tuos Sappho Graiis ſoror addita Muſis,
Atque tuos æquet Dido vel vincat amores.
Hæc animam laqueo præcluſit: in æquoris undas
Se præceps ſaltu dedit altera: tertia mœſtum
Conſcendit moritura rogum; ſtrictoque recludens
Enſe latus, vitam morti non credidit uni.
At Pavam necat unus amor, violentior igne,
Durior & ferro, ſalſis & amarior undis.
Non ita lugubres amiſſo compare Cygni — CYGNUS.
Fœmina dat fletus: canit exequialia primùm
Juſta viro; tum certa mori, per fluminis oras
Errat; & ipſa ſui cantatrix funeris, horam
Provocat extremam, feſtivo carmine fluctus
Atteſtata, comes quàm gaudeat ire marito.
Chortales inter volucres ne quærite Cygnum;
Littoreas habitat ripas, loca ſola; vagamque
Piſcatu tolerat circum pigra flumina vitam.
Mæandri tacito ſed gaudeat ille receſſu,
Et liquidis tenerum modulis ſoletur amorem.
Tu menſas ornare cibis non cantibus aures — AVIUM CHORTALIUM UTILITAS.
Paſcere ſollicitus, Capis inſtabis alendis.
Æquoreus non deerit Anas, nec garrulus Anſer,
Quem largo ſale continges: è ventre revulſam
Ille toris plumam dabit, & Scriptoribus alas,
Sæpe quibus pigrâ non altiùs alite Vates
Surgit humo, cantuque novus ſtrepit Anſer inepto.
Gallinas alat imprimis; hinc Villica laudem

De paſcendis altilibus.

Hinc & ſperet opes, lautiſque opſonia menſis.
Bis det larga dapes, primùm cùm manè cubili
Deſiliere, priùs quàm diffundantur in agros:
Dein ubì clamoſas revocat ſpes certa ciborum;
Invitatque cadens placidos Sol veſpere ſomnos:
Nam cum Sole (breves ſpatiis ſeu contrahit arctis
Bruma dies, nova ſeu demit de noctibus Æſtas)
It cubitum Gallina. Suo cùm lumine nuper
Defectus, medio Titan latuiſſet Olympo;
Deceptas memini venientis imagine noctis
Chortis Aves intraſſe domum; mox deinde cubili
Deceſſiſſe, diem Phœbo referente; priuſquam
Intempeſtivo clauſiſſent lumina ſomno.
Obſtupuere breves tenebras, & Solis oborti
Præcipitem, Gallo non compellante, recurſum.
Hordea vel Milium ſpargat, vileſque minutim
Villica Lactucas truncet, Cauleſque virentès;
Pennatamque vocet noto clamore cohortem;
Plumiger expanſis exercitus affluit alis:
Nec ſecus ac Domini cùm limina prima potentis
Obſedere greges inopum, ſperataque prodit
Sportula; circumſtat cubitis plebs ſordida preſſis,
Confuſoque fores ſtrepitu precibuſque fatigat.
Sic ubì vel cererem vel oluſcula trunca refertis
Villica fert calathis; circùm genus omne Volantum
Irruit; ardentique licent ut plura juventæ,
Inſiliunt gremio Pulli, dextramque morantem
Sollicitant, plenis ut pabula larga caniſtris
Expediat: jacit illa dapes; nec voce querentum
Ampliùs, at legulo Volucrum ſtrepit area roſtro.
Porticus æſtivos defendat frondea Soles,
Aligerumque gregem pluvio tueatur ab imbre.
Hîc cineres affunde, quibus ſe læta volutet
Pulvereo Gallina ſolo: ſit & obvia lympha,

Quam non prona vadis ſed tenſo ad ſidera collo
Hauſtibus abſorbet crebris Gallina : foratis
Alveolis hinc inde bibens caput inſerat : alvi
Proluvies liquidam ne fœda coinquinet undam.

GALLINARIUM

Sint procul à Domini tectis aviaria ; Pulli
Nec ſubeant imam nudâ niſi pelle culinam,
Membraque porcino veſtiti pinguia lardo :
Pullus enim mundoſque fimo Gallina penates
Sordidat : & Muſis ſi dulcibus otia ruri
Oblectabis, Anas & garrulus Anſer acutis
Uſquè laceſſitas rumpent clangoribus aures.

Contiguos furno nidos (tepor unde ſalubris
Perveniat) compone tui prope tecta Coloni :
Audiat ut vigilem Gallum, qui manè canorâ
Voce diem citat, & ſomnos abrumpit inertes.

Tutius eſt craſſo paleata cubilia muro
Indere, quàm calathos fixis ſuſpendere clavis ;
Præcipiti quos ſæpe ruit Gallina volatu.

Matribus in ſobolis ſpem parturientibus, Ova ;
Putria ſint licèt aut gypſo conficta, relinques.
Sedibus in mediis crates ſuſpende, dolatis
In quadrum baculis ; ne quos ſopor altus habebit ;
Lubrica decipiat titubantes pertica Pullos.
Ut thalamos iterum, ſi qui labuntur, in altos
Conſurgant, muro proclivis adhæreat aſſer
Formatis aſper gradibus : par ſcandula matres
Adjuvet è paſtu reduces, ut ad alma quietis
Munera ſuccedant domibus. Sed veſpere ſero
Applicitas remove ſcalas ; ne vafra ſubintret,
Et vertat placidos Vulpecula funere ſomnos :

AMOVENDA VULPES.

Omnia tentat enim Fera peſſima, ſanguine ſiccas
Ut ſatiet fauces ; & gallinaria, triſti
Cæde furens, miſeræ funeſtet imagine cladis.

Tu quoque necte dolos ; & ſi nil retia proſint

Infandum proſcribe caput; raptiſque Juventus
Venandi ſtudio properet collecta ſub armis,
Exanimamque ferens læto cum murmure Vulpem,
Circumeat villas; & adhuc à cæde rubentes
Matribus oſtentans fauces & crimina furis,
Accipiat meritas pacto cum munere laudes.

UBI DE MASSERACA VILLA.

Hæc ego Maſſeraco meditabar rure, quietâ
Tarnis ubi, ripis jam decreſcentibus, undâ
Lambere gaudet agros, & demiratus ab alto
Gurgite naſcentem Villam, campoſque jacentes,
Hæret iners, nectitque moras, & prædia circum
Lentis errat aquis, ſtudioſus & ipſe locorum
Et placidi, quo nos quoque vix avellimur, oti.

Amnis ubi flexis redit in ſe pigrior undis,
Mollia prata jacent; adverſo littore rupes
Erigitur, ramis quam multa virentibus arbor
Contegit in ſcenæ faciem: de culmine rupis
Fons oritur, quem dura parens enixà, rigentes
Præcipitem jacit in ſcopulos: dolet ille quòd hortos
Maſſeraci riguis nequeat decurrere lymphis;
Vicinumque petens magno cum murmure Tarnim,
Indecores queritur volvi ſine nomine fluctus.

Ad ſtrepitum labentis aquæ cùm ſæpe ſolerem
Gramineis recubare toris; Anatumque cohortem,
Pullorumque greges per florea prata viderem;
Novi quàm faciles veniant in carmina Muſæ,
Tranquillus quas urbe procul ſtrepituque receſſus
Invitat; pariterque placent & dulcia rura,
Hoſpitis & facies jucundo blandior agro.





PRÆDII RUSTICI

LIBER XIII.

Columbæ.

QUÆ juvet, & lætas faciat quæ cura Columbas,
Quos præbere cibos, quæ præſtet ponere tecta,
Quæ ſtudia & mores, quæ ſit clementia gentis,
Lamonide (tua juſſa) canam. Dum tenuia conor,
Tu regni interea curas & pondera rerum
Indefeſſus obis; tu ſufficis omnibus unus,
Viſus & imperium majeſtatemque verendam
Atque animi magnos hauſiſſe à principe ſenſus:
Tantus ad agreſtes nugas deſcende, tuique
Vive diu ſimilis: votorum hæc ſumma meorum:
Cætera Rex æqui juſtiſſimus arbiter ultro
Deferet, ac meritis ſummos æquabit honores.
Chaoniis primùm ſedes ponenda Columbis, COLUMBARII SITUS.
Urbe domoque procul: Volucrum ne dulcia turbet
Otia vicinus fragor; aut in ſepta domorum
Furtivo inſinuans ſeſe lapſu exiguus Mus
Nidorum populetur opes; paſtuque reverſa

Incaſſum vacuis mater ſuper incubet ovis.
Præterea ſylvas, fluvioſque odere propinquos.
Idaliæ Volucres: aſpectum ſylva patentem
Eripit, & ramis prædo defenſus opacis
Subſidet Accipiter, Cæloque frementibus Auſtris,
Importuna cient concuſſæ murmura frondes.
Obſtrepit ingratum flumen, blandâque Columbas
Temperie propioris aquæ, ſtudioque lavandi
Invitat dorſo puras infundere lymphas:
Unde ſuum repetens mater poſt balnea nidum,
Incubat; atque ſinus madefacta, tepentibus ovis
Vitalem tollit, quem foverat antè, calorem.
Quà molli ſenſim tumet altior aggere tellus;
Unde patet latè liber proſpectus in agros,
Seu Baccho veſtitur humus, ſeu meſſibus albet:
Columbarii structura.
Illic pone larem, locus optimus ille Columbæ.
Marmoreis domus aſſurgat ſuffulta columnis:
Sin alios rarum marmor ſervetur in uſus;
Impenſæ parcus, communibus utere ſaxis,
Undique circumdans murum modò lubrica fallat
Lamina nitentes tecta ad ſublimia Mures.
Ipſa autem ſpatiis domus haud claudatur iniquis:
Anguſtos odit Volucris Cytheræa penates.
Lux nimia invalidos pullorum lædit ocellos;
Sufficiuntque duæ, juſto tamen ore, feneſtræ.
Ad medium converſa diem minor altera Solem
Excipit hybernum, medio patet altera tecto.
Neve ſubire domos Milvus queat, utraque clathro
Munitur, cribrum forulis imitante rotundis.
Multi adeo muros lapidum cinxere coronâ;
Quâ piger hyberno recreari Sole Columbus
Poſſit, & exleges aptare ex ordine plumas.
Parietibus niveam ſublimibus illine calcem:
Qualis enim nitidis vulgò color inſidet alis,
Talem

Talem pura ſuis Ales lætatur ineſſe
Mœnibus; hoſpitium ſeu candida mœnia monſtrent;
Seu magis alliciat candentis gratia tecti.
Attamen & curas, primumque impende laborem
Interiora domûs nidoſque parare decentes. NIDI.
Quot ſibi nidorum formas novus extudit uſus
Quis numeret: lento textos de vimine clavis
Suſpendunt alii calathos: fabrilia multi
Ligna adhibent; truncis etiam, ſaxove cavato
Sæpe columbinos alii fodêre penates.
Frigidiora ferunt nodoſam ſaxa podagram;
Lignaque vermiculos, molli importuna Columbo
Monſtra, fovent: quod tu peſtis genus omne cavebis,
Si teretes ſicco fingas ex imbrice nidos.
Cocta focis levat æſtivos argilla calores,
Et teneris eadem defendit frigora Pullis,
Nec lento lapidum in morem ſudore madeſcit.
Stabit ubi perfecta domus, penetralibus hoſpes
Succedat, qui ſpe curas non fallat inani: COLUMBARUM VARIÆ SPECIES.
Namque Columbarum duplex genus; altera major
Corpore, naturâ clementior, alba colore:
Aligeros habet illa pedes, ocreataque tardè
Crura movens, imis verrit veſtigia plumis;
Collectiſque redux à fonte cubilia fœdat
Sordibus, & teneros inimico flumine Pullos
Lædit: quodque magis miſerebere, ſedula mater
Dum caro fovet ova ſinu, propiùſque tepenti
Admovet; offenſas ſi quis fragor impulit aures,
Seſe præcipiti fert in ſublime volatu
Immemor, & geminos agit extra limina fœtus.
Hæc metuens, pedibus quas Jupiter addidit alas
Tondere, & vanum poteris reſcindere luxum.
Huic non abſimilem fert Cypria terra Columbam,
Quæ circumpoſitis criſtato vertice plumis

Altior ingreditur, Regumque inſignia jactat.
Utraque fœturæ eſt habilis: nam ſeu furit agris
Sirius, aut Hyemis redit inclementia, nunquam
Cura cadit ſobolis: vix nido abiere gemelli,
Cùm redit ovorum primus labor. Hanc ego cunctis
Anteferam, ſi parcat Heri curiſque reique,
Et gentis de more cibum veſtiget in arvis.
Altera mole minor, nec tam fœcunda, domorum
Alta petit, gaudetque locos habitare remotos.
Cùm fruges tulit æſtivas, vel ſemina rurſum
Cepit humus; toto volitans rimatur inemptas
Rure dapes, parviſque parat convivia furtis.
Non illi cicur ingenium, non candida veſtis
Sed cineri color eſt affinis: nulla moratur
Pluma pedes: nec celſus Apex in vertice ſurgit.
Vere parit, pergitque novos educere fœtus;
Algida frigus iners dum Bruma reducat: ab omni
Dein partu pigra cum ſterili tellure quieſcit.
Plumipedem hanc dicunt, Saxatilis iſta vocatur,
Quòd turres & ſaxa habitet. Si fœdera ſecum
Ambæ ineant, iiſdemque agitent ſub mœnibus ævum;
Denſior & patribus meliore ſimillima parte
Mox tibi commiſto ſurget de ſanguine proles,
Quæ parcat victu, & fœtus cum menſibus æquet.
FREQUENTANDUM COLUMBARIUM.
Ergo age, quas in ſpem ſtatuis ſubmittere gentis
Elige; & ut populi ſelecta colonia ponat
Fundamenta novi, captivam claude paratis
Ædibus, & quanvis triſtem ne carcere ſolvas
Imprudens, donec primos oblita penates,
Et juſſis habitet tectis, & amoribus expes
Audeat indulgere novis: tum libera toto
Rure volet, portis uno poſt menſe recluſis.
Ne tamen à domibus Cœlo invitante recedat
Longiùs, atque ſuas ſub noctem neſciat ædes

Oblita remeare viâ, mittatur in auras
Cùm fuerit ſubfuſca dies, vel proximus Heſper.
Excurſus tunc illa breves propioribus agris
Tentabit, neque ſe nigranti credere Cælo
Auſa, novis diſcet paulatim aſſueſcere tectis.
Quas ne fortè domos mutatis transfuga ſignis
Desereret Cyprius Volucris, nova caſtra ſequutus;
Moris erat veterum foribus ſuſpendere Murem
Pennatum, cæſique caput deforme Juvenci,
Nec non Balſameos, Storaciſque incendere odores,
Oſtentare Lupi caput, immundoſque rapacis
Ardeolæ cineres medicatis ſpargere tectis.
Conſilio melior tu larga cibaria præbe, COLUMBARUM VICTUS.
Alliciàtque tuas ſaturum præſepe Columbas.
Cùm trucibus fera ſævit Hyems Aquilonibus, almam
Unguibus incaſſum terram roſtroque fatigant:
Paſce libens, vanumque pius miſerere laborem,
Et quacumque die bis menſam appone vocatis,
Primùm ubi nona famem Cæli collegerit hora;
Blandaque turre ſuper miſcentes murmura, victum
Sollicito poſcunt ſtrepitu; ruſumque vocabis
Ad cœnam labente die, cùm tecta Volucres
Idaliæ, Cælo jam frigidiore, reviſunt.
Aſt ubi Sol medius breviores fecerit umbras;
Parce ſubire domos, intempeſtiva daturus
Prandia: nam thalamis, curent ut corpora, ſeſe
Componunt iterum, & mediâ quaſi nocte ſiletur.
Si quæ fortè dapes magis arriſere Columbo,
Ut Viciæ, & Milium, & pallentis grana Cumini,
Vere dabis: nam Vere cibis melioribus altrix
Mater eget, ſoboleſque: Hyemi ſerventur Avenæ
Et cribris excreta Ceres, glandeſque minutæ.
Sunt mediâ gaudent qui paſcere chorte Columbas;
Seu pecus aligerum placeat numerare; cubantum

Seu matrum dulcem nolint turbare quietem.
Si mos ille juvat, certam doceantur ad horam
Urgentem tolerare famem; dum ſibila mittas
Expectata diu, clamoſave cymbala pulſes;
Aut alliſa manu repetito verbere ſaxa
Dent ſonitum, totamque vocent ad pabula gentem,
Paret, & audito circumfluit undique ſigno,
Quamque poteſt eſcam rapit impigra quæque Volucris.
Dum reliquæ paſci ſatagunt, ſi videris unam
Faſtidire cibos, triſtemque inſiſtere tectis;
Sal appone: cibi primum ſal reddit amorem.

PURGANDUM COLUMBARIUM.

Ni procul & ſordes, & functa cadavera mittas;
Incaſſum tua tecta gemes deſerta Columbis:
Namque placet mundæ Volucri mundiſſima ſedes.
Sæpius ergo domos purga; nec ſtercoris uſum
Sperne columbini: generoſior inde Lyæus,
Lætior inde Ceres: languentibus inde medentur
Paſtores Ovibus: parcus tamen utere, Vitem
Sive foves, ſeu ſtercus humo cum ſemine condis:
Urit enim Vites fimus igneus, urit Ariſtas

AVERTENDUS MILVUS.

Quod ſupereſt, Milvum inprimis averte rapacem:
Milvus edax, quo non prædo crudelior alter,
Nec qui fallendi plures exerceat artes,
Moliri inſidias populo non ceſſat inermi.
Nunc medio ſeſe ſublimis in aëre librat,
Perniciem meditans, & idonea tempora captans:
Obſcurâ nunc fronde latens, ſuper arbore prædam
Aſpectat longè venientem: ſæpe per auras
In varios volitat, quaſi nil malè cogitet, orbes.
Heu! malè tunc Volucris Cælo ſe credidit audax,
Tectave defeſſis remeavit pigrior alis.
Deſpiciens vafer, ex alto per inane volantem,
Impetit, & pedibus comprenſam eviſcerat uncis.
Quin etiam ſi quando dies ad paſcua totam

Lætior invitet plebem, Cæloque feratur
Grex denſus; medium ruit improviſus in agmen,
Attonitamque ferox fugat in contraria turbam.
Pars latet umbroſo ſaltu; pars ſumma domorum
Tecta petit; multæ dumos ſubiere, nec ipſos
(Tantus amor vitæ, tantus timor hoſtis) apertos
Defugêre ſinus hominum. Tu crimine tanto
Offenſus, cape ſaxa manu, cape ſpicula vindex,
Obſervanſque ferum, plumbo transfige volantem:
Armaque ſi deſunt; geſtu, aut clamore minaci,
Infenſus terre, & diram procul ejice peſtem.

Annoſas etiam Matres præſepibus arce: AMOVENDÆ SENIORES COLUMBÆ.
Nam, placidum quanquam genus, exitiabilis urit
Invidiæ livor ſteriles ætate Columbas:
Et, ſi vera fides, inſanos mente furores
Concipiunt; Juvenum nidos atque ova, benignæ
Indolis immemores, populantur, & omnia vaſtant:
Quod multi ut caveant, ubi vidit Cyprius ales
Quartam hyemem (nec enim eſt plus quatuor utilis annos)
Dant & avos, proavoſque neci, nec parcitur ulli;
Totaque mutatis cum civibus oppida mutant.
Inſanum ne tu præceps imitere furorem:
Parce, nec inſontes uno pro crimine multos
Dede neci: tanto minor eſt injuria damno.

Atque Columbarum pateat quò certior ætas:
Unum, dum teneros retinent cunabula Pullos,
Unguem adime, atque alium pariter reſcinde quotannis
Queis quatuor cecidere ungues, ſeclude; tuique
Non emptis dapibus faciant convivia Vernæ.

Nunc age qui mores, quæ ſit natura Columbis COLUMBARUM MORES.
Expediam, levium ſpectacula grandia rerum.
Nam ſolæ ſylvis, hominum de more, relictis
Vitam agitant ſimul; atque ut habent communia cives

Oppida, ſic illæ conſortia tecta frequentant.
At nulli proceres, nulli placuere Tyranni,
Qui reliquum vulgus dura ſub lege tenerent.
Sed velut in prima naſcentis origine mundi,
Cùm ſcelerata trucem nondum Diſcordia vultum
Extulerat, neque Mars raſtros mutarat in enſes,
Nec ſcelus ediderat Styx horrida; quiſque paternos
Exercens agros, nullo livore feraces
Alterius ſegetes, vicinaque rura videbat;
Haud ſecus unanimes, in eadem turre Columbæ
Innocuos ſine lege dies ſine crimine ducunt.
Omnibus una domus, quæ ſola impervia rixis
Permanet, unus ineſt amor omnibus, una voluntas.
Et quæ ſæpe fero populos diſcordia motu
Exagitat, nunquam civilibus otia bellis
Turbavit Cypriæ volucris; nec dulcia pacis
Vincula, plebis agens mentem in diverſa, reſolvit.
Nec modò pacatis penetralibus arma quieſcunt
Civica; ſed ſtudium tot convictoribus unum eſt:
Turmatim longinqua volant ad paſcua: fontem
Si ſitit una, petunt omnes: ſi tecta reviſit,
Tecta placent: tum ſi triſtes pertæſa penates
Arva petit rurſus, Volucrum per inania nubes,
Ponè ſubit, totoque volat denſiſſima Cælo,
Quà dux cumque viam monſtrat: ſi ſegnior una,
Vel tecti vel prolis amans, comes ire recuſet,
Huic reliquæ nullâ nidos formidine credunt,
Non fraudem, non inſidias, non furta timentes;
Annoſas ſi cura fuit removere Columbas,
Quas aliena volunt furialibus ova vel alis
Dejicere in terram, vel iniquo frangere roſtro.
Sed neque corruptos etiam livore maligno
Hos cadit in mores ſcelus exitiale: miniſtra
Turpis avaritiæ cædiſque calumnia damnat

Nil profecturas effœtâ ætate Volucres.

Cùm gravibus ſpicis flavos redimita capillos
Diva potens frugum faciles quærentibus eſcas
Suppeditat, lætæ campis tunc omnibus errant:
Donec amor ſobolis, noctis vel nuntius Heſper
Suaſerit ire domum, dulceſque reviſere Natos.
At cùm terra riget glacialibus uſta pruinis,
Concluſæ varios tunc intra ſepta domorum
Exercent ludos, tempuſque, & tædia fallunt.

Sævitiem ſi fortè ſuam, ſi frigus & imbres
Intermittit Hyems, Cælumque ſerenat Apollo;
Tunc Avis aprico ſpatiari Cypria tecto,
Ungue fricare caput, roſtroque laceſſere plumas
Gaudet, & inſtabiles adverſo ſole colores
Fingere: nam rubris paſſim intermixta Pyropis
Nunc roſeo credas geſtare monilia collo,
Nunc Carbunculeum videas ardere nitorem,
Moxque ſinu glauco virides miſcere Smaragdos.

Sæpe etiam ſteriles, Cælo invitante, vagantur
Per campos, & humum vanis conatibus ungue
Scalpentes, tardam Cererem, frugeſque morantes
Increpitant: ſi quas alia de Turre Columbas
Abduxere, novis inſtructa cubilia cedunt — HOSPITALITAS.
Hoſpitibus; vitamque ſub iiſdem degere tectis
Invitant, ſecumque cibis communibus uti.

Quæ ſemel invaſit per amœnos herbida campos
Paſcua non ſociat Perdix; ſylvaſque per omnes
Defendunt ſua regna Feræ; Cythereia contrà
Gaudet avis remeare ſuas comitatior ædes.

Nulla tamen patrios niſi ſollicitata penates
Deſerit; & clauſo procul exportata caniſtro,
Reddit inoblitis ultro ſe libera nidis.

Utilis hinc bello Volucris; cùm proximus hoſtis
Imminet, obſeſſam necdum premit arctiùs urbem.

Curſores parat aërios Præfectus, Aveſque
Idalias fert rure domum, condictaque mittit
Ad loca detractas urbana è turre Columbas;
Ut dubium per tuta regat commercia bellum.
Obſeſſis tellure viis, it nuntia Cælo,
Sub pennis nexas ultro citroque tabellas,
Telorum ſecura ferens: quæ rure penates
Urbanos remeat, ſpem civibus addit; ab urbe
Miſſa, docet clauſis quæ ſit fiducia turmis.

SOBOLIS. CURA. Quid referam prolis ſtudium: cùm Fœmina partu
Jam propior, nido ſeſe non continet; ovis
Cuncta timens, gravidam ſequitur Mas uſquè Columbam,
Oblitamque ſui pennis & murmure blando
Increpat, & tutos hortatur amare Penates.
Undecimo matura die feliciter ova
Mater ubi peperit, nunc Mas nunc Fœmina curis
Incubat alternis; rupto dum carcere Pullus
Exeat, & teneros lanugine veſtiat artus.
Molliùs ut jaceant Nati, ſibi vellere plumas
Inſtat amans Pater: at ſalſos ut in ora ſapores
Inſpuit, atque cibi primum inſpiravit amorem;
Nec mora nec requies, labor unus utrique Parenti
Largas ferre dapes & edacem paſcere prolem.
Lactea principio Pullis alimenta miniſtrant
Quæ revomunt ipſi: mox indigeſta, calenti
Sed ſtomacho mollita, ferunt cerealia grana.
Sponte niſi fluat alba ſeges, plaudentibus alis
Excutiunt gravidas, queis horret campus, ariſtas.
Furta Columbarum minùs ignoſcenda videbam
Nuper humo viridante ſedens: namque ordine longo
Grandia cùm mollem roſtro frumenta per herbam
Formicæ veherent; hinc Mas hinc Fœmina tritas
Obſedere vias; & onuſtis triſte ferentes
Auxilium, Cererem tollunt ex ore, rapinam

Haud tamen infamant majori crimine : raptis
Indulgent vitam ſpoliis. It rurſus, & agrum
Veſtigans Formica, gerit non in ſua prædam
Horrea venturam : lapſæ nam turribus altis
Ad nova continuò revolabant furta Columbæ.

Grandibus ut primùm, pennâ non impare, Pullis
Aërias tentare vias, & quærere victum
Vis ætaſque ſinunt ; nidis tum mater adultos
Ejicit, atque novæ jubet incunabula proli
Cedere : demigrant triſtes, & fœdere pacto
Conjugii inter ſe ſubeunt ſacra vincla, noviſque
Prima novæ genti ponunt fundamina nidis.

Incorrupta ſui conſervant fœdera lecti ; FIDES CONJUGIALIS.
Et nunquam, niſi conjugium Mors impia ſolvat,
Quam nidi ſociam ſemel admiſere, relinquunt.
Si ſupereſt, ſponſæque videt vir triſtia fata,
Longa memor damni viduo ſuſpiria nido
Triſtis agit, lacrymis ſponſam gemituque requirens.

Poſt ubi connubii, mortiſque exceſſit imago,
Innuptam tota quærit de gente Columbam ;
Atque ut certa ſui det amoris ſigna, volantem
Aſſiduus ſequitur : querulo tum gutture flammas
Explicat, & roſtro petit oſcula, datque viciſſim.
Tum levibus duram, ſimulatâ percitus irâ,
Increpitat pennis, & amico verberat ictu.
Sæpe ſolum verrens alâ pendente rotatur ;
Sæpe gemit, teneroque Procus blanditur amore.
Queis tandem victa illecebris ſi Fœmina cedat,
Caſta ineunt pariter ſtabili connubia pacto.

Quos cecini, tales alia ſub imagine mores METAMORPHOSIS.
Ingeniumque habuit, cùm Cypria ſceptra teneret :
Nam Cypro fama eſt quondam regnaſſe Columbam,
Priſtera nomen erat ; primam cognoſcere formam
Si juvat, atque omnes audire ab origine caſus,

Accipite; & triſtem mecum miſereſcite ſortem.
Formoſæ ſobolis mater formoſior olim
Priſtera ſpectabat placidos è littore fluctus:
Mite fretum, ſuduſque dies, naveſque paratæ
Invitant pelago terras mutare ſilenti:
Vicinumque ſolo metiri puppibus æquor.
Jam decreſcentes ſylvas miratur & urbes
Ire retro, ſubitâ cùm tempeſtate minaces
Inſurgunt venti: demittere cornua rector
Imperat & tutos appellere remige portus:
Juſſa ſed impediunt ventuſque potentior arte,
Fœmineuſque pavor: refugi maris æſtus in altum
Abripit, & ſocias agit in contraria naves.
Puppe vehebatur Natis comitata duabus
Priſtera; quaſſatam poſt mille pericula pinum
Excipit ignotis portus ſine nomine terris.
Ut Regina ſolum tetigit, vultuque ſereno
Spem ſimulans, nonnulla dedit ſolatia Natis,
Ipſa oculos ſenſit propiore tumeſcere fletu.
Ut ſecum gemat & lacrimis effundat habenas,
Sepoſita fractos ſub Quercu projicit artus,
Multa movens animo quas vento acceſſerit oras,
Quæ ſibi ſpes vitæ, ſponſo quis mœror amanti.
In mediis fruticum tenebris tum fortè latebat
Milvus, inhumanâ latro feritate timendus.
Vidit, & ex facie mentem cognovit iniquam,
Acceſſuſque viri metuens fugit ipſa, fugamque
Accelerent triſtes hortatur Priſtera Natas.
Sed quid agant, pede non melior jam proximus inſtat
Milvus, & in tantis ſupereſt ſpes nulla periclis.
Sollicitant votis Superos, vitâque pudorem
Ut redimant, ſubitâ perimi vel morte precantur;
Aut alio, ſi fas, in corpore ducere vitam,
Alite mutari, penniſque reviſere Cyprum.

Non vanæ cecidere preces, non irrita vota:
Protinus in plumas crines, velamina, vittas
Ire vident: os in roſtrum producitur, alis
Candeſcunt humeri, queis ſe per inania tollunt.
Milvus ut ereptam nova per miracula prædam
Vidit inexpertis ſe ferre per aëra pennis;
O! ſi Mercurius furum pater adjuvet, inquit,
Humaniſque ſuas humeris accommodet alas!
Adfuit interpres Divûm, virgâque potenti
Tacta ſuperfuſis dat membra nigreſcere plumis:
Quem manibus tentans divellere Milvus amictum,
Pro manibus pennas habet: eheu! clamitat amens,
Eheu quid volui miſero mihi! plura parabat
Dicere, ſed verbis jam deficientibus unco
Imperfecta lipit roſtro, quâ territus ipſe
Voce fugit, prædamque iterum per inane volantem
Inſequitur: nec quas rabidus conceperat iras
Nunc cecidere: manet ſub eodem nomine Milvus:
Sanguinis idem amor eſt, eadem feritatis imago;
Nec volucrum ſatis eſt, hominum quoque ſanguine gaudet.
Interea Cælo volat anxia Priſtera, Natas
Veſtigans nequicquam oculis: jam tuta tenebant
Saxa procul. Cyprum Mater cognovit, & ædes
Non procul eſſe ſuas meminit: videt atria Regis,
Nec dubitat Sponſi, quanvis ignota, penates
Intrare, & tangi manibus, nomenque ſuoſque
Dicere ſi poſſit caſus. Pro voce quot artes,
Quot ſcit inire vias induſtria: ſi quis obortis
Reginam abſentem lacrimis gemituque requirit:
Huc volat, & dulces triſti cum murmure miſcens
Blanditias, roſtro prodit ſe pene loquenti.
Quà Natos videt ire ſuos, plaudentibus alis
Inſequitur, tangi patiens, caroque foveri

Læta ſinu, & blandas iterans gemebunda querelas.
Accipiunt pueri Volucrem; fatumque Parentis
Dum crudele dolent; gemitus incognita mater
Temperat, & luſûs eadem eſt, & cauſa doloris.
Sponſum autem inprimis circumvolat ægra, marito
Aſſidet; & ſi trita manu det cruſtula Princeps,
Aut Volucri blandè palpaverit; oſcula caris
Dat manibus, gemitumque imo de pectore ducit.
Nil gemitus, nil alta juvant ſuſpiria; nulli
Noſcitur, & tacitum cunctis inſpirat amorem.
Quanquam ignota, tamen Cypriis vitam egit in oris;
Hinc habet à Cypro ſibi nomen. Priſtera Græcis
Dicta fuit; veteres Latii dixere Columbam.
Illa dedit toti nomen cum ſanguine genti;
Signaque regalis generis manifeſta, Coronam
Vertice geſtat ovans, regaliter ambulat, altas
Queis habitat priſco turres ſplendeſcere luxu
Gaudet, & ingenti ſociarum fervere turbâ:
Et, quod fœmineum vitium eſt, formoſa videri
Nunc quoque mutato vult corpore; namque ſuperbam
Altiùs ire vides, & circumducere collum,
Atque recompoſitas ſub lege reponere plumas.
Munditiæ ſtudioſa, lutum deterget ab alis,
Si quod ineſt: puras gradiens affectat ab omni
Sorde vias; & ſola avium nec in arbore ſidit,
Nec cæcum nemus ingreditur, non immemor olim
Sylveſtres ſteterit quanti ſubiiſſe latebras.
Servat adhuc mites animos & pacis amantes,
Et veterem non eſt oblita pudoris amorem:
Nam neque concubitu Volucris caſtiſſima novit
Indulgere vago: nubit ſanctamque Marito
Præſtat Sponſa fidem, nec vincla jugalia ſolvit.

APES

APES.

AD

EMINENTISSIMUM

CARDINALEM

DE FLEURI.

INclyte Romano fulges qui murice Præſul,
Nobilitaſque tuis clarum virtutibus oſtrum,
Si tibi fauſta placent æqui moderamina Regni,
Sacra Fides, amor in Regem, reverentia legum,
Gens operum ſtudioſa, ſagax & ſtrenua; noſtras
Præſul amabis Apes, quas Conditor orbis in uſus
Sed magis ad populi Regumque exempla creavit.
Aſpice tranquillos ut certâ lege labores
Exercent, mitique dies ſub Principe condunt:
Illius ut vitæ plebs excubat, ille ſaluti
Plebis; acerba vocent ſeu bella; domive regenda
Sint opera, aut Hyemi primo jam Vere cavendum.
Felices illâ Gallos in imagine, rerum
Te duce, cognoſces: nullis æraria Fucis
Expilanda patent: in publica commoda cedit
Quidquid opum confert populus, nec bella laceſſit,
Nec metuit Gens Marte potens: qui flectit habenas
Imperii, docilem te Præceptore juventam
Sic coluit Princeps, ut quo vix tempore norunt

Y

Imperitare ſuis alii ; maturior annis
Arbiter Europæ ſedeat ; belloque tumente
Suadeat armatos pacem componere Reges.
O ! ſi dum releges per florea rura vagantum
Agmen Apum , ſubeat mentem ſtudioſa juventus
Pervolitans libros , & mella Poëtica condens ;
Te noſtrî miſereſcet , Apes ut Vere recenti
Si videas blandâ ſubitò ſpe meſſis opimæ
Deſtitui , floreſque ſibi quos aura Favonî
Mollior ediderat , Boreæ ſubeuntis acerbo
Flamine vel perdi penitus , clauſoſve teneri.
Grex miſerandus Apum , quibus irreparabile meſſis
Tempus abit , ſtrepitus & inania murmura miſcet ;
Dum ſibi Veris opes Sol luce recludat amicâ.
Hæc eadem nos fata premunt : ſcis , optime Præſul,
Millia Bercherius ſelecta volumina dono
Quot dederit : nobis hæc interdicta librorum
Copia ; quos dudum clauſos fatalibus arcis
Vis inimica tenet : Lodoïco Judice cauſam
Vicimus : huic tantùm placidas fac commodet aures.
Ecce vides per acerba ſequor vadimonia (1) verſu
Quæ facili tuleram ditiſſima munera Vates.
Litibus implicitum Muſis me redde ; nec ultra
Indigno patiare ſitu putreſcere , rodi
Vel Tineis monumenta , tui (dum vita manebat)
Ultima quæ mittent in ſecula nomen amici ;
Noſtraque ſit tandem nobis donata , novemque
Decertata (nefas) jam Bibliotheca per annos ;
Teque favente meæ rurſum ſit debita Muſæ,

(1) *Vide in Opuſculis Authoris Epiſtolam, quâ lectâ Illuſtriſſimus Dom. de la Berchere, Collegio Toloſano ſuam dedit Bibliothecam, pro qua vindicanda liti ſe moleſtiſſimæ obtulit Author.*



PRÆDII RUSTICI

LIBER XIV.

Apes.

ARTIFICES cano mellis Apes, ad Tibridis oras
Quas cecinit Vatum princeps: ignoſcite Manes
Romulei, ſi quod calamis agreſtibus olim
(1) *Mollius annuerant gaudentes rure Camœnæ*
Carmen adhuc moveo: priſcis incognita ſeclis
Eloquar; & mirâ quantùm dulcedine verſûs
Virgilius, rerum tantùm novitate placebo,
Veridicæ magis hiſtoriæ quàm carminis author.
Principio montes Apis & deſerta locorum
Vel nemorum tacitas, uni ſibi commoda, ſylvas
Incoluit: dabat hoſpitium vitioſa vel Ilex
Aut cava & infeſtis rupes impervia ventis.
Dulcibus hanc herbis & odoro flore vocantes
Suaſimus antiquos ultro contemnere ſaltus,
Urbanas & amare domos. Mel in oppida ſecum

APES E SYLVIS IN PRIVATAS DOMOS ABDUCTÆ.

(1) *Horatius de Virgilio in Poëtica.*

Et ceras, & dona tulit majora, laboris
Exemplum, purumque rei communis amorem.

APUM INGENIUM ET LABORES QUA ARTE COGNOVIT D. MARALDI.

Melliferæ tamen haud promptum eſt cognoſcere gentis
Ingenium, & certas in publica commoda leges:
Neſciri ſeſe gaudent; lucemque peroſæ
Flava tenebroſo ſub cortice mella reponunt,
Nec ſpeculatores oculos arcana domorum
Explorare ſinunt; ſed in ora manuſque volantes,
Viſendi cupidos abigunt; monitoſque tumenti
Vulnere deterrent, artes quin ampliùs auſint
Attentare ſuas: atqui tamen agnita magnam
Ferret Apis (tanta eſt operum ſolertia) laudem;
Una niſi moveat generandi gloria mellis.

Cætera qui norat rerum miracula, ſolers
(1) Naturæ ſcrutator, Apes ut diſceret, ædes
Effinxit vitreas; & in interiora penatum
Luminibus ſubiit tutis: ſecreta ſub auras
Quæ tulit, Aſcræo mens eſt comprendere verſu.

APUM SEDES ET RESPUBLICA.

Non incerta laris, Volucrum de more vagantum;
Errat Apis, victum quærens ſibi rure diurnum;
Fortuitaque levem noctu ſuper arbore ſomnum
Feſſa labore trahens: homines imitatur, & urbis
Conſimiles eadem colit intra mœnia ſedes;
Privatæque rei ſtudio ne publica damnum
Res, ut in humana patiatur gente, reponit
In commune cibos; venturæ provida Brumæ;
Quos Æſtate legit: populum coaleſcit in unum
Quo neque juſtitiæ, nec amantior ordinis alter.

Totius huc ſpectant leges & fœdera gentis
Cerea divitiis vigeant ut regna; novâque
Auxilium ſibi prole parent; maneatque Nepotum

(1) *M. Maraldi. Hiſt. de l'Acad.* Royale des Sciences. 16. *Nov.* 1712. *ſur les Abeilles.* p. 299. *& ſuiv. Ab hoc Authore accuratiſſimo excerpta ſunt quæ prodigio ſimilia de Apibus narrantur in hoc libro.*

Immortale genus : ſtudiis concordibus uni
Incumbunt operi ; ſed non labor omnibus idem.
Exercetur agris animoſa Juventa : domorum
Interiora Senes moderantur , & horrea complent
Exuviis florum , quas advexere Minores.
Rure domique ſagax agmen cum Sole diurnum — APUM VARII LABORES
Æquat opus : molli reficit nox corpora ſomno.
At roſeis ubi vecta rotis Aurora laborum
Admonuit ; Vetulæ (ſomni quæ parcior ætas)
Evigilant , & ſigna canunt plaudentibus alis ;
Quo Juvenum rumpant pigram ſtridore quietem.
Emicat , & reliquum pennâ vibrante Juventus
Excutiens ſomnum , ſe prædæ accingit agreſti.
Ac velùti quò bella vocant , canor æris inertes
Extimulat turmas , & in hortida prælia mittit ;
Non aliter ſtrepitu ſonitus imitante tubarum
Florigeros ſe turba rapax hortatur in agros.
Protinus erumpunt portis ; Caſiamque Thymumque
Omnibus ut circùm populentur latiùs arvis ,
In diverſa volant , acri quò nare ſagaces
Invitant odor & certæ ſpes blanda rapinæ.
Si cui fortè ſeges felix & copia florum — APES MEL EX IMO FLORUM CALICE HAURIUNT.
Ditior occurrit , reliquas per inane volantes
In partem vocat ; & numero recreante laborem ,
Acriùs incumbunt , ut ab omni flore legatur
Melleus effluxit calicem qui ſudor ad imum.
Nectareo cùm plena tumet veſicula ſucco ;
Quà flavos , velut utre , ferunt in tecta liquores ;
Floribus inſidunt iterum , ceramque recidunt ; — CERAM E FOLIIS RECIDUNT.
Quæ foliis , villi vel pulveris inſtar , adhæret.
Deciſam ſubigunt pedibus preſſantque comanti
Flore ſuper ; Cælo vel turbidiore quietum
Haud procul inde locum quærunt , ubi cerea poſſit
Materies , raptim flores collecta per omnes ,

In tenues cogi maſſas, loculiſque reponi,
Quos pedibus Natura dedit: cùm plura piloſis
Cruribus amplecti nequeunt; in flore madenti
Membra volutantes hamatis hiſpida villis,
Quidquid ineſt ceræ rapiunt; tantoque gravatæ
Pondere, cæleſtes carpunt non ſegniùs auras.
Vere magis celeratur opus, dum roſcida totis
Mella comis ſudant Quercus Tiliæque; priuſquam
Nectareus radiis ſolaribus avolet humor.

EX ARBORIBUS GLUTEN REVELLUNT.

Si neque mella dabunt ſeſe neque cera; tenacem
Eradunt Piceis viſcum; quo munere rimas
Obturare gelu contra, ceraſque domorum
Ad latera & ſummum poſſint ſuſpendere tectum.

APUM FORMA.

Sunt Apibus veluti duo brachia proxima collo,
Et digitata manus; quâ detondetur ab herbis
Cerea lanugo, lentum de cortice gluten
Vellitur, & ſtruitur crates operoſa favorum.

VECTURA.

Collecto quæ melle gravis ceráque Penates
Vimineos Apis ingreditur, redolentia primùm
Infert mella favis; dein cerea tecta prehendit
Unguiculis; mediâque domo ſtat pendula, raptas
Non ut jactet opes; gravidam ſed ut agmine facto
Expediant ſociæ, ſeque in ſua regna remittant.
Involitat numeroſa cohors, ceramque revellit
Ex humeris, operi cœpto quam protinus addit,
Molitura favos: neque enim dum junior ætas

APUM SENIORUM LABORES DOMESTICI.

Florea rura metit, Veteres ignava ſequuntur
Otia: venturæ ſoboli cunabula ponunt:
Horreaque ædificant ita feſtinata, favorum
Ut naſcente die ſi fundamenta locarint,
Veſpere cellarum quatuor ſtent millia, quales
Dædalei manus Artificis vix æmula fingat,
Quæque ſuum ſortitur opus: pars mœnia condit;
Pars molles ſubigit ceras; operumque labores

Pars imperfectos emendatura, reviſit
Alveolos, ceras aptans aut ungue revellens;
Ne tenuis nimiùm paries vel craſſior extet,
Angulus aut abnormis: Apem comitantur euntem
Per forulos veluti famulæ, quæ fragmina ceræ
Exportant, introve ferunt, ut poſtulat uſus.
Sunt quibus incumbit ſtructas ſolidare frequenti
Verbere pennarum crates, uteroque polire.
  Cerea non temerè ſurgit ſtructura favorum:
Oppida nulla viis meliùs deſcripta, labores
Ut quòcumque vocant, Apis huc breviore feratur
Circuitu; & liber multis ſit tranſitus: unum
Quippe iter inſiſtunt omnes, & in horrea prædam
Una vehunt. Fervente liquor ne diffluat æſtu,
Obturant aditus, hyemique cibaria condunt,
Mella relinquentes imis tamen obvia cellis
Totius ad gentis victum, menſaſque diurnas.
  At neque munditiæ magnas par cura per urbes
Privataſque domos: nil ſordis in ædibus, alvi
Proluvies nec fœda jacet; conſumptaque morte
(1) Si qua peribit Apis, multis ſubeuntibus ultro
Triſte miniſterium, tectis exangue cadaver
Exportant; odor infeſtus ne polluat ædes.
  Excubias vigilum fallens, impune penates MUNDITIÆ STUDIUM IN ALVEARI.
Cùm ſemel intraſſet Limax cornutus, eoſque
Turparet fluidæ craſſo lentore ſalivæ;
Obſtupuere domi gerulum, ſtimuliſque frequentes
Invaſere fero retrahentem corpus ab ictu;
Seque ſuæ vallo teſtæ ſpumiſque tegentem:
Irrita jam cùm tela forent; Apis advocat artes
Ingenioſa ſuas; & ceræ prodiga totam
Incruſtat Cochleam, monſtrum fatale recondens
Hoc veluti tumulo, ne tetrum afflaret odorem.

(1) *Plin Lib.* 11. *Cap.* 18.

VIGILUM EXCUBIÆ.

Peſtis acerba domos vix unquam invadit, Apeſque
Occupat incautas: neque enim, cùm proximus hoſtis
Imminet, ac diris urbem circumſonat armis;
Fida magis tenet obſeſſas Cuſtodia portas,
Quàm quod Apum ſibi commiſſis alvearibus agmen
Excubat, horrificâ defendens cuſpide limen.
Vermis ubi vel Papilio temerarius audet
Seſe inferre domo, centum cadit ictibus ipſas
Ante fores: monſtrum magis exitiale, penates
Stellio ſi ſubeat; raucum Cuſtodia murmur
Edit, & auxilium magno ſtridore repoſcit.
Ceſſat ubique labor: turbatis agmina caſtris
Circumfuſa volant; & in unum millia figunt
Spicula; præcipiti dum Stellio territus iræ
Cedat, & aufugiens ſolvat formidine cellas.

APES ÆGRÆ CURANTUR, PIGRÆ PUNIUNTUR.

(1) Si qua domi conſiſtat Apis vel feſſa labore,
Vel morbo tentata; volant & odora dolenti
Mella ferunt comites: (2) ſed deſidioſa ſeveris
Otia caſtigant pœnis; & funere culpam
(In vulgus mala ne ſerpant exempla) recidunt.

APUM FOETURA.

Quid majora loquar tantæ miracula prolis
Virgineum genus inter Apum: ter millia quinque
Miſſa favis aliò migrare, novamque quotannis
Coguntur ſibi per ſylvas inquirere ſedem:
Et fieri quod poſſe neges, tot fœmina Natas

APUM REGINA.

Una parit: (3) Regem Veteres dixere; ſed acres
Inter Amazonidum veluti Regina catervas
Imperium exercet, Scythicos dominata per agros;
Plebeïas ſic inter Apes dux fœmina regnat,
Quam colit & miro vulgus dignatur honore.

(1) *Ægris cibos miniſtrant. Plin. L. 11. Cap. 18.*
(2) *Ceſſantium inertiam puniunt morte. Plin. Lib. 11. Cap. 10.*
(3) *D. Maraldi. p. 313.*

(1) Ut major foret imperii reverentia, membris
Majorem Natura modum dedit: albida frontem
Diſtinctam maculis decorant inſignia Regni;
Et micat in pennis color aureus: (2) unica toto
De grege nulla gerit diro metuenda veneno
Tela; laboriferam regat ut ſine ſanguine gentem;
Nec terrore ſibi, fido ſed amore ſodales
Subjectas habeat: ſpes & fortuna penatum
Illius ex vita pendent: opera omnia ceſſant
Reginâ languente: dolens plebs aſſidet ægræ;
(3) Et ſi fata ferunt ut morbo concidat; uno
Exequias luctu decorant, nec funera ducunt:
Exanimum circa corpus glomerantur in orbem;
Et triſtes querulo gemitus dant murmure, donec
Has quoque vel tollat mœror, cauſamve dolorum
Auferat ex oculis manus officioſa cadaver.
Ultima Reginæ poſt fata, juvencula Princeps
Matris in imperium ſuccedit læta; novoque
Cincta ſatellitio, vacua dominatur in aula.
Majeſtate ſuâ tantum, teliſque Clientum
Reginam armari voluit Natura; ſuaſque
Cùm procul à tectis agit in certamina turmas;
Bella regens, Ducis officium non Militis implet;
Ne totam ſecum trahat in diſcrimina gentem.
Pertæſam ſi fortè domi Sol luce ſerenâ
Aureus invitat Cœlo colludere; nunquam

APUM REGINA.

(1) *Regis forma duplo quàm cæteris major: celſior ingreſſus: in fronte macula quædam candicans. Plin Lib.* 11. *Cap.* 16.

(2) *Rex vel nullum habet aculeum, vel uſum ejus ei Natura negavit. Plin.* 11. *Cap.* 17.

(3) *Rege peſte conſumpto mœret plebs ignavo dolore, non cibos convenit, non procedit, triſti tantùm murmure glomerantur circa corpus ejus, ſubtrahitur itaque: aliàs ſpectantes exanimem, luctum non minuunt. Plin. Lib.* 11. *p.* 18.

Indefenſa volat : lateri ſe multa (1) Satelles
Agglomerat : non ad pompæ regalis honores ;
Promptior auxilio ſed ut adſit ; humique jacentem
Attollens dominam famularibus invehat alis.
Sat Comitum Regina licèt ſit amore ſuarum
Tuta domi ; numeroſa tamen Cuſtodia circum
Excubat , & vigiles agit ad Prætoria noctes.
Illius & ſtipant latus , atque hinc inde frequentes
Involitant , (2) quoties oculos per cerea Princeps
Regna ferens , urget præſens recreatque labores.

FUCI. Othomanis autem veluti non una Tyrannis
Conjugio ſtabili ſociatur fœmina ; plures
Sic habet in venerem præceps Regina maritos ,
Quos Fucos dixere : pecus ſpectabile mole
Corporeâ , ſed iners & in otia ſegnia natum:
Queis mala regnandi veniat ne fortè cupido ,
Uxorique viros pudeat ſervire , quotannis
Invadit furibunda mares plebs omnis inermes ;
Hos & Amazonio ritu vel morte peremptos
Sternit humi , trepidoſve ſuis procul ejicit alveis.

REGINÆ APIS PARTUS. Explorans paritura toros Regina paratos ;
Inferit alveolis caput , ut quæ nixibus edet
Unis ova parens deponat ſingula nidis.
Circumſtat ſtipata cohors , uteroque dolentem
Reginam mulcet pennis ; & murmure blando
Hortatur duros partûs tolerare labores.
Illa retro gradiens averſo corpore nidos
Ingreditur : parientem abdit ſexangula cera ;
Turba miniſtra tamen pennas ad limina tenſas
Explicat , obducens fœtæ quaſi vela Parenti :
Virginibus tantùm pudor atque modeſtia cordi eſt.

(1) *Feſſum Regem humeris ſublevant , portantque. Plin. Lib. 11. Cap. 17.*

(2) *Rex intus opera circuit , ſimilis exhortanti. Plin. Lib. 11. Cap. 17.*

Non intermiſſo Regina puerpera fœtu
Ova decem vel plura parit, totidemque reponit
Alveolis; & Matronas imitata potentes,
Plebeis Apibus ſobolem committit alendam.
Accipiunt illæ curam, quâ publica pendet
Res & gentis honor: toti cariſſima Regno
Pignora maternis ſtudiis & amore foventes,
Auxilium ſibi grande parant operumque levamen.

APUM PULLI.

Immutata dies quatuor ſtant ova: moveri
Partus in Erucæ faciem dein incipit, artus
Naſcentes glomerans: quarto nutricula ſole
Candidulum defert niveo pro lacte liquorem:
Mox docet Hyblæo gentis conſueſcere victu,
Mella diurna ferens. Octavo ſole figuram
Parvula mutat Apis; pellemque exuta (tenellum
Quæ fovet, ac veluti puerilis faſcia, corpus
Involvit) fit avis turpi de verme; pedeſque
Exerit, atque humeris quatuor mox induit alas.

Naturam ſi frigus iners tardaverit, auras
Unà omnes agitant pennis; quem dura negabunt
Tempora, ſupplentes motu fervente calorem.

Mollibus obturant nidorum limina ceris;
Invalidam ne tentet Apem penetrabilis aër:
Sed priùs hanc nigro claudant quàm carcere, victum
Apponunt, bis ſex alitur quibus illa diebus.

APIS NOVELLA.

Conſumpto tunc melle, fores Apis ungue laceſcens,
Anguſtum molitur iter; portiſque recluſis
Egrediens, lucem inſolitam numerumque ſororum
Ac ſtrepitum, & mirâ ſuſpenſos arte labores
Obſtupet attonitæ ſimilis: mox fervere tectis
Cuncta videns; ne ſola domi ſtet pigra, ſodales
Conſequitur primâ nidum quâ luce reliquit,
Hortorum redit exuviis onerata, ſuaque
Continuò ſolers excellit in arte, magiſtrâ

Et duce Naturâ; dum nos imitabile quantùm
Vel docet exemplum, vel tardior erudit uſus,
Rebus in humanis ſcimus; longoque paratas
Tempore, vix ævi ſpatium breve perficit artes,
Interea nidos Apis una domeſtica mundat;
Reſtituenſque fores ſexangula limina fingit.

APUM EXAMEN.

Aucta novis cùm jam fervent examina turmis;
Plenaque vix tantam capiunt alvearia plebem:
Sedibus emigrat patriis, aliâque Juventus
Sub Duce prima novo ponit fundamina Regno.
Ævi flore nitens tectis Regina ſub iiſdem
Crevit, & imperio jam ſeſe intelligit ortam;
Regnandamque alibi meditatur cogere gentem.
Ergo multiſonis civilia claſſica pennis
Manè dies aliquot canit; hortaturque ſodales
Ut vetus hoſpitium fugiant, ſua ſigna ſecutæ.
Reginam circumſtat Apum plebs tota canentem:
Hanc oculis, hanc aure bibunt, dulcedine bombi
Et rutilis captæ pennis blandâque juventâ.
Cerea confuſo ſtrepitu ſtudiiſque faventum
Tecta ſonant: illis nec florea rura diebus
Pervolitant, nec mella legunt, urgentve labores
Intra tecta ſuos: vitæ concordia plebem
Nil antiqua movet; privatis publica cedit
Res ſtudiis; trepidāt domus interiore tumultu;
Et fremit ad portas incondita turba volantum.
Ut cùm bella tument civilia; fœdere necdum
Abrupto coëunt Cives & in arma feruntur:
Sed dubias gliſcens ſtudia in contraria mentes
Sollicitat, tacitoſque ferit Diſcordia motus.
Inſtaurat Regina ſonos; iterumque ſodales
Præcipitare fugam monet; inclinataque vulgi
Pectora ſi videat, tum denique ſigna revellens,
Egreditur prior, & vocat agmina fida ſuarum.

Prima

Prima ruens portis Fucorum turba morantes
Excitat, & rauco cogit velut ære catervas.
Stat Regina domûs ſuper ardua tecta, cohortem
Expectans; magno quæ protinus agmine circùm
Involitat, ſtridenſque novâ ſe principe jactat.
Amplexu gens tota fidem teſtatur; & arcti
Fœderis in ſignum, preſſum glomeratur in orbem.
Haud mora, cunctando ne frigeat ardor eundi,
Diſſipat amplexus Regina, jubetque penates
Deſerere: obſcurant Cœlum quæ multa ſequuntur
Millia, natales ultro fugientia cellas.
Non procul hinc viridi junctæ ſuper arbore ſidunt,
Innectuntque pedes pedibus; tumidique racemi
Agmen in effigiem lento ſtat penſile ramo.
Inde gravi vocat alarum ſtridore ſodales,
Incertas animi ſatiuſne relinquere nidos
Et ſaturum præſepe, novis an fidere regnis.
Antiquis emiſſa favis non una Juventus
Digreditur: Veteres aliquot migrantibus addunt
Se comites, ut cuncta novo moderentur in alveo. APUM EXAMEN.
Egregio plures Juvenum de flore viciſſim
Blanditiis Vetulæ retinent; ut olentia latè
Rura metat, ceráque domos ac melle Juventus
Inſtruat; agreſtes ætas neque feſſa labores
Deſuetos repetat, longæ vel condita Brumæ
Ante diem victu conſumat mella diurno.
Sæpe ſibi non viſa ſatis comitata, vel imbrem
Præmetuens, redit ad patrios Regina penates,
Delectus factura novos: plebs omnis euntem
Subſequitur: Veteres noctem non ampliùs unam
Hoſpitio indulgent; niſi longior ingruat imber.
Si piget incœpti reduces; nec ſponte relinquunt
Orto Sole domos; vi protruduntur & armis.
Si ſteterint illæ contrà; paribuſque reſiſtant

Viribus; & veteres neque poſſint pellere turmas,
Nec tectis abigi; quos agmina neutra duello
Evicere lares, ſimul utraque partibus æquis
Auſpiciiſque colunt communibus: alta domorum
Pars habitat, pars ima tenet; ſed nulla laboris
Nulla duas inter vitæ commercia gentes.

APUM BELLA CIVILIA.

Mox eadem bini velut intra mœnia longam
Non ſervant populi pacem; tectoque ſub uno
Vix conſanguineos inter ſtat gratia fratres;
Haud ſecus aligerum ſtudia in contraria ſcindit
Seſe vulgus Apum, factis ubi partibus ædes
Diviſas habitant: privatæ publica rixæ
Bella trahunt; ſed ne cæco per opaca domorum
Marte truces ineant pugnas; cùm prælia bombo
Terribili cecinere, foras pars utraque latos
Aëris in campos acies producit apertas.

Involitant hinc inde, mori vel vincere certæ,
Et rabidas acuunt diris ſtridoribus iras.
Agmen agunt binæ pennis fulgentibus auro
Reginæ, mediiſque volant in millibus: ingens
Turba Duces cingit, neque miſcet prælia, donec
Ancipitis ſuprema vocent diſcrimina belli.
Antevolat, Martemque ciens utrinque Juventus
Effera prorumpit; mox agmina tota ſequuntur:
Immiſcentur Apes Apibus; vibrataque figunt
Spicula, & horrendum dant accipiuntque venenum,
Lethifer inſpirat fixæ quod cuſpidis ictus.
Mutua cognatæ paſſim per vulnera turmæ
Civili pereunt acie: labuntur utrinque
Corpora læſa, nivis ritu, quæ nube ſolutâ
Decidit, hybernis Aquilonibus acta per auras.
Necdum iras animoſa phalanx & prælia ponit:
Dum medio belli cum robore fœmina Princeps
Conciderit; grandi quæ ſtat victoria clade:

Agmina Reginam promptis fortiſſima telis
Circumfuſa tegunt; & ad unam mille venitur
Funeribus: ſed ubì ſemel occidit illa; quieſcunt
Arma recompoſitis animis; nec longiùs ira
Procedit quàm Martis atrox furor: unus utrique
Terminus eſt; & ſi poſitâ formidine victæ
Indecorique fugâ ſparſæ victricibus auſint
Addere ſe comites, non exturbantur: eiſdem
Fas dapibus tectiſque ſimul communibus uti.
Exitium & tantas vulgò gens provida rerum
Antevenit clades: nam dum virguncula nullo
Septa ſatellitio ſervit Regina Parentis
Imperio, necdum meditatur condere regnum
Ipſa ſibi, ſociamque fugæ deducere turmam;
Hanc tacitâ nece clam tollunt; gentiſque ruinam
Unius interitu redimunt; quo more Tyrannos
Barbaricos inter manet hæres unus in aula;
Diviſi ne bella gerant civilia fratres.

APES CIVILI DISSIDIO OCCURRUNT JUNIOREM REGINAM INTERFICIENTES. *Ex Plin. Lib.* 11.

Reginæ parcunt juveni, numeroſior arctis
Cùm populus tectis habitat; rerumque ſuarum eſt
Laxet ut anguſtas emiſſa Colonia ſedes.
Publica ſed poſcunt ubì commoda rurſus inanes
Mollibus impleri ceris ac melle penates;
Reginam perimunt juvenem: Duce namque peremptâ
Natales vaga non fugiunt Examina cellas.

Ejuſdē interitu migraturum examen continct.

Melliferis ergo caveis exire Juventam
Non patiuntur Apes; quoties pars maxima morbo
Aut improviſis perit imbribus: optima quanquam
Augur Apis norit ventos & nubila Cæli;
Nec procùl excurrat pluviâ impendente, vel ædes
Præpetibus repetat pennis; inopina fugacem
Sæpe tamen ſubito tempeſtas occupat imbre,
Ad terram miſerè affligens; ubi naufraga vitam
Demerſas inter ſegetes amittit in undis.

Quoties vel magna contigit Apum clades.

Fatalem mœret ſortem domus anxia ; clauſo
Cùm raras ad tecta videt ſe reddere Cælo.
Felices quas fortè cavo vel robore Quercus
Excipit aut Platanus frondentibus hoſpita ramis.

Vel cùm Apiarius Alvear ampliavit.

Sæpe migraturas Apiarius ipſe doloſâ
Fraude retentat Apes , ſpatiis majoribus ædes
Amplificans : vacuas. ſedes ſtupet inſcia turba ;
Et ſubitum miratur opus ; Juvenumque catervam
Stare jubet Duce ſublatâ ; gaudetque capacis
Intra ſepta domûs poſſe horrea plura , novoſque
Ædificare favos , queis larga cibaria condat ;
Cura laboriferam tangit quæ maxima gentem.

Aut cùm feræ Apes Alvear ſpoliarunt.

Nec ſemel ambroſio cellas ubi melle replerunt ;
E ſylvis erumpit Apum fera turba , domique
Congeſtas populatur opes , atque omnia vaſtat.
Nam veluti gelido quondam fundebat ab Axe
Barbara terra viros ; queis longior annuus agri
Cultus erat , facileſque ſibi per furta , ſceluſque
Quærere malebant fruges & vivere rapto ;
Prædabunda cavis nemorum ſic Quercubus adſunt
Agmina , quæ gentis proprios exoſa labores ,
Non ceras non mella Hyemi proviſa reponunt ;
Horrea ſed ſubitis vaſtant aliena rapinis ;
Et toto quem Vere cohors operoſa coëgit ,
Unius expediunt victum per furta diei.

Effera gens & mole valens & viribus audax
Nil dubitat plenos Apibus tentare receſſus ,
Expilare palam diffractis horrea ceris ,
Atque novum , ſi quæ muſſat , ſcelus addere furto ,
Et raptis opibus dulcem quoque tollere vitam.
Mella vident impune rapi , ceraſque recidi ,
Corruere & muros , deſolarique penates ;
Nec cuiquam eſt animus furaci obſiſtere turmæ.

Cogeret hæc miſeræ facies triſtiſſima cladis

Maturare fugam, nova quam Regina parabat:
Illius at tantis mors luctibus additur; unamque
Interimunt Vetulæ, cellis ut tota novandis
Permaneat, ceraſque ferens ac mella Juventus,
Acriùs incumbat, propior quò Bruma, labori.

Fuci inertes.

Interea vacuas flavo dum nectare cellas
Implet Apis, non pigra ſequi pudet otia Fucos:
Tecta fovent; vel ſi qua dies invitat amicâ
Luce frui; pecus ignavum ſpatiatur in horto,
Nil faciens operis, ſed inania murmura miſcens;
Et quanvis habeat validas ad pondera vires,
Nil tamen afflictis curat ſuccurrere rebus,
Obvia vernantes neque ſugere mella per agros:
Molliter in teneris recubat ſed floribus, eſcæ
Immemor, ad ſaturum donec præſepe recurrat,
Servatas Hyemi gaudens conſumere fruges.

Ab Apibus interimuntur.

Indignantur Apes; ſobolis ſed amore creandæ
Fervida gens iras in idonea tempora differt.
Autumno redeunte, tonans cùm Jupiter imbres
Comparat; & ſterilis monet annus parcere victu,
Unanimi tunc bella cient aſperrima motu,
Et ſtabulis abigunt Fucos, aut (1) funere tollunt,
Non ſecus ac urbem propior cùm territat hoſtis;
Obſidio ne longa famem ferat, oppida vulgi
Fæce levant, mittuntque foras quod inutile bello eſt:
Sic ubi pulſat Hyems jam proxima, frigore pigram
Obſeſſura domi gentem; præſepibus arcent;
Interimuntque Mares; & quæ pia turba ſororum
Exequias celebrat, cæſos ad limina Fucos
Projicit; extremo ſeu non dignatur honore
Funeris ignavum pecus, aut ſpectare peremptum
Vindictâque frui poſt fata noviſſima gaudet.
Obſcuris ſi fortè locis, turbante tumultu,

(1) *Certum eſt Apibus Fucos interfici.* Plin. L. 11. C. 17.

Delituere aliqui; non horrida bella reſumunt
Pacatis jam rebus Apes: trepidantibus ultro
Indulgent vitam Fucis; ſed ab ædibus illos
Protinus exturbant, & junctis viribus unum
Attollunt tres vel quatuor raptumque per auras
Extra limen agunt: procul effugit ille, fameque
Confectus moritur: tanti eſt, aliena ſecutum
Pabula: frugifero non aſſueviſſe labori.

FUCORUM REPARATIO.

Extinctos reparat Fucos Ver ova recludens,
Integra quæ nidis Hyemem manſere per omnem:
Quanquam adeo exoſum genus eſt, ut ſæpe tenellam
Progeniem & clauſos intra cunabula Fucos
Aggrediantur Apes, & acerbo funere mergant.
Non errant in cæde truci: cunabula Fucos
Majores majora fovent; parituraque mater
Ova ſuis æquo ponit diſcrimine nidis.
Hos foribus ſubeunt fractis, formataque nondum
Membra trahunt cellis, & humi morientia fundunt.

APUM CURA.

Altera pars ſupereſſet Apes curare; ſed inter
Et Volucres, & noſtra Feras in tecta receptas
Utilis eſt Apis una, virûm nil indiga curæ:
Depopulatur enim florentia rura, favoſque
Sponte replet: ceras direptaque mella labore
Indefeſſa novo reparat; rerumque ſuarum
Ut ſtatus eſt, auctam pellit retinetve Juventam.
Emiſſis nova tecta para; Caſiamque Thymumque
Et flores prope caſtra ferens, occurre labori;
Ne faciat via longa moram laſſetque vagantes.
Præterea ſolare famem Brumæque nivalis
Acre gelu. Vigili permittens cætera genti,
Et magis exemplo gaudens quàm melle potiri,
Pacificum pecus obſerva: miſerabere ſortem
Degenereſque animos humanæ gentis, amicâ
Demiratus Apes tectis in pace ſub iiſdem

Vivere concordes, & nos in mutua natos
Commoda, flebilibus miſerè contendere bellis.
Antiquæ mentem ſubeat pietatis imago,
Cùm ſua Chriſtiadæ ſic in commune ferentes
Omnia, condebant placidos ſine crimine ſoles.
Et veteris ne vana putes præconia famæ, DIGRESSIO DE PARAGUENSI POPULO.
(1) Nunc etiam Mare trans altum jacet angulus Orbis,
Quem qui norit, Apum credat me nomine gentis
Illius ingenium & varios celebraſſe labores.
Non certis armenta notis non limite ſignant
Arva; ſed in medium quærentes omnia, fruges
Horrea convectant in publica: nulla politos
Diſciplina viros latet opportuna tuendis
Imperii rebus: terram pars ſcindit aratro;
Pars niveos fœcunda greges ad paſcua ducit:
Pars frumenta terit ſaxis, aut excoquit igne;
Atque alii falces, alii fabrilia tractant
Arma; domique ſuæ timuit qui manè labanti,
Sole cadente redux ab aratro, cuncta Colonus
Sarta videt, tectiſque nihil formidat apertis.
Conſilio non jure Senes dominantur: ab annis
Una poteſtatem facit experientia rerum;
Unaque lex eſt juris amans ſua cuique voluntas.
Non homines (proprium qui nil potiuntur, & uſu
Cuncta tenent) auri fulgor capit: una per illos
In pretio eſt pietas; alii nec pectora torquent
Invidiæ ſtimuli quàm quos movet æmula virtus.
Erudiant quanquam pueros exempla Parentum,
Formandæ tamen haud deſunt præcepta Juventæ:
In commune placet fingi communia gentis

(1) *Le Paraguay; Voyez la Relation du R. P. Florentin Capucin, inſerée dans le treiziéme Recueil des Lettres édifiantes & curieuſes, écrites des Miſſions étrangeres, où eſt rapporté tout ce qui ſuit.*

Pignora ; ne patrum privatæ publica curæ
Totius incumbat ſpes & fiducia Regni.
Quos populi legêre Duces rerumque magiſtros
Ille manet labor, ut Juvenum quam quiſquis ad artem
Aptior eſt, primis hanc edoceatur ab annis.
Æqua pares inter ſunt omnia ; nullaque primas
Obtinet, aut aliam gravat ars inſignior artem :
Cuique decora ſua eſt, ſi rectè factitet : agris
Ruſtica vertendis, bello vel ſumpta gerendo
Arma parem faciunt, ſi par induſtria, laudem.
Quanquam habitet pax alta locis ; nec bella laceſſat
Gens æqui juſtique tenax ; tentare nec auſint
Finitimi Populi terras, quas fama tuetur
Roboris invicti ; tamen arma Duceſque paratos
Semper habent, Martiſque truces formantur in uſus ;
Non belli ſtudio, longæ ſed pacis amore.
Hæc operum requies, Sacris jam ritè peractis,
Tympanaque & lituos feſtis audire diebus,
Et Peditum turmas Equitumque videre ſub armis
Innocuæ inter ſe pugnæ ſimulachra cientes.
Sic juvenes enſem pariter durumque ligonem
Aſſueti tractare manu, nec corpora caſtris
Fluxa ferunt, nec cæca rudes in prælia dextras.
Felicem ditione tenens Hiſpania gentem
Ad ſubitum novit bellum quàm prompta Juventus :
Nuper enim magno rerum diſcrimine juſſi
Regis in auxilium ſocias adjungere vires,
Nobile continuò juvenum coït agmen ad arma ;
Et totis acies veluti Cadmeïa terris
Extitit : egregias miratur Iberia turmas ;
Obſtupuitque magis, medium cùm vidit in hoſtem
Fortiter ire viros, celeremque referre triumphum,
Altera nec præter laudem ſibi præmia velle.
Compoſitis redeunt armis ad aratra, Senumque

Imperio læti parent qui bella regebant.

Fortunata minùs veteris quæ ſecula Romæ
Carminibus celebrant Vates. Hîc fortis Arator
Caſtra ſciens agroſque pari diſponere curâ,
Vomere permutat Faſces plauſtrumque Curuli:
Pauca relinquebat patrii quæ jugera fundi
Victrix Roma colit, Bellatorique Senatus
Villicat; & reduci, Victorum præmia, cultos
Reddit agros: quantò ſatiùs communibus arva
Publica Bobus arat pinguis novus incola terræ.

Omnibus unus enim vel ſervit Miles, agreſtem
Ruſticus aut operam confert; unique viciſſim
Rure ſuum impendunt omnes & in urbe laborem,
Alterius ſic meſſe fruens & ſorte locorum,
Cui ſegetes periere ſuæ, nec ditior amplas
Inter opes, nec egens in paupertate, ſecundis
Non rebus tumet, adverſis neque frangitur; æquam
Fortuna mentem ſervans in utraque, minùſque
Damna dolens ſibi cum toto communia Regno.

Neſcia gens noſtri vivit; nec ab hoſte tuetur
Sed magis externis à Relligionibus oras:
Appoſitas ſtruxere domos ad littora; portus
Ut peregrina ſuos intret ſi navis; amicè
Hoſpitio excipiant, ſed ad interiora venire
Regna vetent homines cupidos audita videndi.
(1) Inde Caledonias vulgavit fama per urbes
Loïolidas dare jura viris, ſceptriſque potiri,
Qualia fortè dolent dites Orientis ad oras
Sacrilegis erepta dolis ſibi regna: verendam
Hæreſis auſa Crucem pedibus calcare, patentes
Una ſubit Japonum portus: nil quippe profanis
Vana Deûm ſimulachra timent hac hoſpite templis.

Non gentem imperio, ſed Relligione tenemus:

(1) *Voyages de Correal.*

Conſiliis hominum parent, hanc vivere vitam
Qui docuere; Deum ſanctè venerantur, amantque
Chriſti dulce jugum, cui gens ſanctiſſima ſubdi
Tum magis atque magis gaudet, cùm cogitat olim
Ut nemorum per opaca vagi vixere Parentes,
Relligio queis nulla fuit; rituque Ferarum
Contiguis ut vivit adhuc gens impia ſylvis;
Fauſta ſibi dum ſecla fluunt, regnantque per illos
Alma fides, pax & pietas, & copia rerum.
Semina nos colimus fauſtis quæ jecimus agris;
Atque per immenſos Chriſto nova Regna labores
Quærimus, hac operum ſolâ mercede, quòd emptam
Sanguine divino gentem cæleſtibus oris
Aſſerere, & rigidæ placeat virtutis alumnos
Reddere, quos homines fieri vix poſſe putares.
  Fortunata nimis gens, in commune beatos
Si pergant agitare dies; Apibuſque magiſtris
Commoda magna ſibi pariant, dum publica quærunt.

Digitized by Google

PRÆDII RUSTICI

LIBER XV.

Stagna.

FERT animus mea ſtagnicolas ad Prædia Piſces
Addere, quos olim teneris meditabar in annis.
Accipe, Lamoni, paucis meliora lituris
Carmina, quæ nomen quondam fecere Poëtæ,
Queis ſine nec Vites nec haberes fortè Columbas,
Nec quæcumque tibi maturior extudit ætas.
Quas ego (1) fabellas mutataque Numine Divûm
Corpora gaudebam puerili ludere verſu,
Forſan & his animum poterit recreare Nepotum
Nobile par, fauſtis qui ſub penetralibus altæ
Semina mentis alunt, nondum exemplaria græca
Vel romana manu verſantes, teque tuoſque
Sed propiùs mores, atque aurea dicta legentes,

(1) *Huic Libro, quem primum omnium junior ſcripſeram, multas intexui fabulas; Rapinum quem meritò laudari videbam ducem ſecutus. Nondum ab hac anilitate omnino reſipueram cùm paucos poſt annos Columbas, Vites & Olus in lucem edidi.*

Dulce rudimentum virtutis, & optima quondam
Fratribus ingenuis ad avitam hortamina laudem.

Officia & regni partes implere ſecundas
Curſonium poſtquam docuiſti, longiùs olim
Ut patriæ proſis etiam poſt fata, colendam
Aſſumis Nati ſobolem, longamque Nepotum
Dum ſeriem Lodoix orbi parat, ipſe viciſſim
Regibus æquævos gaudes formare Miniſtros,
Exemplis monitiſque tuis qui pondera rerum
Suſtineant, patriumque ferant in ſecula nomen.

Stagna gregi qui rure paras habitanda natanti,
Irriguis præcincta tibi ſeu montibus arva
Abſorbent reſides immenſo gurgite lymphas,
Naturæ non artis opus: ſeu vallis in arctum
Sic coit, ut facili frænentur pariete rivi,
Utere fortunæ donis & ſorte locorum.

Camporum qui plana colit, licèt aggere multo
Vix benè contineat graviorum pondus aquarum,
Nil deſperet: opum vis & labor omnia vincunt.

Flumineos ubi terra jacens imitabitur alveos,
Sit ſegeti quanvis ager ingenioſus alendæ,
Stagnet aquis; ſulcentque rates quod vomer arabat
Æquor; & amnicolæ depaſcant humida Piſces
Gramina, quæ ſimæ tondebant antè Capellæ.

Pòſt ubi ſquamigero luſtrum non ampliùs unum
Servierint pecori, lymphis exhauſta, viceſque
Stagna per alternas annorum quinque Colono
Reddita, majori parient cum fœnore fruges.
Triticeam ſic vallis opum ditiſſima meſſem
Educat & Piſces; & in æquore fluctuat uno
Lympha ſegeſque Notis undans; eademque viciſſim
Regna tenent & flava Ceres & candida Naïs.

Hoſpitium rivis alii, Piſcique futurum,
Stagna parant mediis in collibus; unde virentes

Deſiliens

Deſiliens prono pede lympha perambulat hortos,
Arboribus vel clauſa cavis tellure ſub ima
Clam fluit; & ſubito tollens ſe ludicra jactu,
In pluvios recidit latè reſonabilis imbres.

STAGNI AGGER DIRUTUS.

Sæpe manu factas aqua vincit pondere moles
Eluctata viam; & magno cum murmure ſecum
Squamoſam per culta trahit cerealia gentem.
Undiſonos rivo cum deſertore ſecutus
Transfuga Piſcis agros, latè ſpatiatur, & almas
Nunc ſegetes nunc prata tenet; nunc æquore merſas
Carpit ruris opes, & liberiore vagari
Flumine geſtit ovans; ſed aquâ fugiente lutoſis
Immoritur ſulcis, & vota miſerrima damnat.
Qualis ubì raptus Juvenis popularibus undis
In vetitum ruit, & fines perrumpit honeſti;
Jamquè per omne ſcelus fertur, quòcumque furentem
Dulcibus illecebris trahit imperioſa voluptas.
Illius at poſtquam, Torrentis more, fugaces
Effluxere dies & gaudia vana; relictus
Jam ſibi, nec cœno (primos quo polluit annos)
Avelli potis, hæret iners; mortemque ſub ipſam
Irrita vota facit vitæ melioris amore.

STAGNI LATIBULA.

Piſcis amat tacitos alta ſub rupe receſſus,
Queis lateat timidus, vel frigus amabile captet.
Tu gentis ſtudio indulgens, imitare cavatos
Quos Natura ſinus ſcopulis informat adeſis.
Sed quia contortis latebrarum anfractibus, intrà
Torpet iners pigroque ſitu corrùmpitur humor;

UMBRACULA.

Arboribus circùm poſitis umbracula Piſci
Tendere maluerim, ſecum modò larga caducas
Devehat unda comas nemorum; ne tabida putri
Subſidat cum fronde lues, & flumina fœdet.
Ergo peregrinos juga per declivia rivos
Duc age; ſtagnantes ut aquas nova lympha perenni

Submoveat curſu. Ripis quæ labitur altis
Æquoreum ciet unda pecus, ſtrepituque ſonoro
Invitat lacubus ſeſe ſubducere clauſis.
Tu crates oppone fugæ, quibus altior amnis
Effluat; & niſu quibus obluctentur inani
Squamigeri cives; indignanteſque teneri
Præcipites oculis fluctus poſt clauſtra ſequantur.

CASTELLORUM FOSSÆ PISCIBUS OPPORTUNÆ.

Nulla gregi ſtatio magis opportuna natanti,
Quàm quæ lympha fluet Villarum mœnia circum
Defenſura tuos atque ornatura penates.
Piſcis enim ſinuoſa vagos per flumina curſus
Exercens, Hyemis ſoles nunc captat amicos:
Nunc iterum nigram tecti ſpatiatur ad umbram;
Dum calet, & fluvio violentior incubat Æſtas;
Te neque jejunæ capient oblivia gentis:
Quippe ſuî Piſcis meminiſſe jubebit, ab undis
Rectior emergens, & hiante voracia pandens
Ora fame: patulis cerealia dona feneſtris
Mellitaſque puer, quibus abſtinet ipſe, placentas
Projicit, & ſpectat gaudens hinc inde Natantes
Una trahunt plures avido qui cruſtula morſu.
Relliquias cœnæ menſis dat Verna remotis:
Inteſtina Coquus Leporum, Piſceſque vorandos
Piſcibus, & Patrum quoque projicit ilia Natis.
Tu quoque certa docens ad ſigna venire vocatos
Triticeam ſparges ſegetem, ludoſque Natantum
Bellaque deſpiciens; vel adacto in viſcera plumbo;
Vel ſub aqua miſſis nervo pulſante ſagittis,
Venandi ſtudio, Solis ſecurus & imbris,
Indulgere domi poteris; ſeu flumina Piſcis
Summa ſecat, ſive in vacuum micat aëra ſaltu.

FREQUENTANDA PISCI-

Stagna pares ubicumque, novos accerſere cives
Tempus erit; primos cùm Vere cupidinis ignes
Senſit amans, ipſaque calens quoque Piſcis in unda

Mutatas vix ſentit aquas; prægnanſque tumenti
Fert utero ſecum numeroſam Fœmina prolem.

Quare age vicinos humentia lina per amnes
Tende, dolis inſtructa: rubros innecte colores,
Vitrea quos cupidus ſequitur per flumina Piſcis.
Præterea captâ velut Alite callidus Auceps
Utitur; ut plures vocet unius ore Volucres,
Quas poſitis fallat laqueis, viſcoque tenaci:
Retibus implicitus ſua ſic in vincula Piſces
Piſcis agit: tantùm poſſunt exempla, timorem
Ut minuant. Non ſponte tamen ſtudioque nocendi
Cives ille ſuos, noſtrâ ſed perfidus arte,
Decipit; & mutæ ſcelus excuſabile gentis;
Agmen ab inſidiis ſi non abſterret amicum.
Unus homo eſt proprii generis qui proditor, ultro
Illaqueat, ſibi quos ſimiles Natura creavit.

Si qua jacet medio rupes in flumine, multus
Piſcis ineſt: quod noſſe potes cùm gurgite ab imo
Tollitur in bullas efflata Natantibus aura.
Quos non ſaxa dabunt, imitaberis arte receſſus,
Demergens cæsâ vinctas ex Ilice frondes.
Piſcis ubi dape pellectus conſueverit uti
Ramorum hoſpitio; ſuſpendes retia circùm,
Iliceaſque trahes alto de flumine virgas,
Humida ſquamigeros agitans ad lina Natantes.
Rurſus aquis faſces & frondea tecta repones;
Inſidiiſque novam ſtructis ſectabere prædam.

Captivos ad ſtagna ferunt quæ dolia Piſces
Accipiant ſuperis lumen ſpirabile coſtis;
Et tibi ſi fluvius, ſi fons occurrat eunti,
Amnicolam bonus amne gregem ſolare recenti.

Omnia non omnis nullo diſcrimine Piſcis
Stagna colit: nam lympha ſitu vel torpet inerti,
Vel graciles fundo tellus imitatur arenas;

A a ij

BUS STAGNA. (Ubi de piſcatu)

Egeriturque novo fluctu mutabilis humor.

PISCES QUI IN AQUIS TORPENTIBUS ALUNTUR.

Si ſtagnis jacet unda pigris immota, paluſtrem
Immittes (1) Album, & (2) Percam, timidoſque (3) Sarachos
Qui totidem referunt, dorſo variante, colores,
Adverſo quot ſole trahit Thaumantias Iris.
Sequanicos addes (4) Epelanos, atque minorem
(5) Chalcidem, & elingues, vulgi ſolatia, (6) Tincas,
(7) Anguillaſque capi faciles, cùm flumine ab alto
In mare deſcendunt: ut enim peregrina quotannis
Auſtrales ſequitur Progne trans æquora Soles;
Sic ubì triſtis Hyems Aquilonibus aſperat undas;
Frigoris impatiens fluvios Anguilla rigentes
Deſerit, & Pelagi tepidis hybernat in oris,
Æſtivoſque redux gelido levat amne calores,
Littoreas captans umbras & frigus aquarum.

Ubi de Anguillis.)

Ergo locum fraudi capies, ubi ſaxea moles
Fluminis anguſtat fauces; per iniqua viarum
Influat ut Cereri violentior unda terendæ,
Verſandiſque molis: medio quas aggere pandunt
Creſcenti portas fluvio, coëuntibus arctum
In ſpatium cannis ſternes: declivis arundo
Præcipites rimis effundet hiantibus undas,
Vimineoque cadens ultro ſe carcere claudet
Quæ ſequitur pronos Anguilla volubilis amnes.
Opportuna fugæ captabit tempora, tutum
Cùm dabit amnis iter brumali turbidus imbre.

Sed velut armigeras ſi quis devolvere turmas
Nocte parat; tenebris quoque callidus utitur hoſtis;
Ut ruat incautas inopino Marte cohortes.
Retia Piſcator ſic indeprenſa lutoſis
Fluminibus tendens, fugitivum intercipit agmen;
Verſutoſque dolis vincit fallacibus aſtus.

(1) *Able, petit poiſſon.* (2) *Perche.* (3) *Sarache.* (4) *Eperlan.* (5) *Çelerin.* (6) *Tanche.* (7) *Anguille.*

Torpenti quoque gaudet aquâ (1) Ballerus oberrans
Littoribus, nec non Itali (2) Pigus incola Lari,
(3) Alburnuſque vorax, veterique ſimillima Truttæ
(4) Umbla, minax roſtro ſed iners ad prælia Piſcis:
Nam licèt armatas triplici dens ordine fauces
Muniat; innumeras tamen irruit unus in Umblas
(5) Lucius, & paſſim fluctus impune cruentat
Cæde ferox: adeò eſt animus præſtantior armis.
Auſoniis etiam veniet peregrinus ab undis
(6) Carpio; ramentis fulvi qui veſcitur auri, *Metamorphoſis.*
Atque alio priſcos in corpore ſervat amores:
Exul enim Latiis olim Saturnus in oris
Cùm fugeret Jovis arma, ratem conſcenderat, ultra
Benacum facturus iter; pretiumque vehendi
Solverat, atque dato ſcelus irritaverat auro.
Jamque gubernator navis, cognomine Carpus,
Omnia furaci quòd carperet ungue, parabat
Vincla Deo: mentem ex vultu præſenſit iniquam;
Ulturuſque nefas puppi Saturnus ab alta
Rectorem Nautaſque maris dejecit in undas;
Naufragaque in Piſces mutavit corpora, naves
Qui ſectantur adhuc, aurique cupidine flagrant;
Seque adeò humanâ teſtantur origine cretos.
Dives aquæ ſi fortè lacus interfluit amnis,
Provenient meliùs maculoſo tergore (7) Barbus,
Et (8) Leuciſcus, aquam ſcindens quo more per auras
Excuſſum nervo jaculum volat; unde (9) Sagittæ
Nomen habet: vivo gaudent quoque flumine (10) Mullus
Perpetuiſque tumet venter cui fertilis ovis

(1) *Bordeliere.* (2) *Pigo* ou *Carpe piquante.* (3) *Ablette.* (4) *Umble, Chevalier.* (5) *Brochet.* (6) *Carpion*, eſpece de Saumon qu'on trouve dans le Lac de Garde. (7) *Barbeau.* (8) *Gardon* ou *Siége.* (9) ſeconde eſpece de *Gardon*, qu'on appelle *Vandoiſe* ou *Dard.* (10) *Surmulet*, eſpece de *barbeau.*

(1) Phoxinus, & roſtro fodicat quæ (2) Barbota limum,
(3) Lotaque ſetoſo pendet cui barbula mento,
Et (4) Squalus, & Ranæ rictu (5) Muſtella ſupernè
Turpis, in Anguillam quæ deſinit, atque (6) Thymallus
Fontis amans, referenſque Thymi fragrantis odorem,
Et graciles avidus qui (7) Gobio ſorbet arenas,
(8) Percaque duritie carnis gratoque ſapore
Æquoreos referens (9) Mullos. (10) Capitoque minutis
Fartus aculeolis, rictuque (11) Silurus hianti,
Et quæ Truta foret, niſi roſtro obtuſior, (12) Umbra.
Utraque ſtagna volens habitat, menſeſque per omnes
Ubere (13) Cyprinus torrentia flumina partu
Torpenteſque lacus opulentat: Cypria nomen
Quo Venus ipſa ſuum pro fertilitatis honore
Impoſuit: Carpam Galli vertêre vocantes.
Æquoreos inter non cautior altera Piſces,
Obſeſſas ubì ſenſit aquas, mediamque teneri,
Nunc ſcopulis latet exeſis, nunc flumine ſummo
Enatat, atque levi tranſmittit retia ſaltu;
Nunc ſub aquis immota manens, vel mordicùs herbam
Ore tenet, merſumve luto caput inferit altè,
Invitam ne lina trahant; & ſæpe ſub ipſis
Caſſibus effodiens, res obſervata, ſaluti
Non tantùm cavet ipſa ſuæ; ſed retia dorſo
Suſtinet, & captum vulgus miſerata, patentes
Officioſa vias aperit, queis turba Natantum
Diffugiat minor, & caſſes fruſtretur inanes.
Non alius qui durando tot ſecula vincat

(1) *Phoxine* ou *Veron*. (2) *Barbote*. (3) *Lote*. (4) *Muſnier*, parce qu'il ſe tient près des moulins, ou *Vilain*, parce qu'il ſe nourrit d'ordures. (5) *Lamproie*. (6) Eſpece de *Truite* dont la chair ſent le Thim. (7) *Goujon* (8) *Perche*, poiſſon qui vit auſſi dans l'eau dormante. (9) *Muge*, poiſſon de Mer (10) *Cabot*. (11) *Silure*. (11) *Umbre*. (13) *Carpe*.

Piſcis erit : Cyprinus enim vetus incola fontis
Bellaquei, vidit qui Gallica ſceptra tenentes
Valéſios, vitreis idem miratur ab undis
Borbonios rerum dominos; patribuſque Nepotes
Aſpicit abſimiles habitu : proh ! tempora quantùm
Obſtupeat mutata magis, ſi gentis honores
Noverit, & toto partos ſciat Orbe triumphos.
Jamque licèt ſenio ſquamis canentibus albent,
Regia longævæ ſulcant quæ flumina Carpæ;
Non ſterilis, non fracta tamen, nec inertior ætas :
Nam vetulæ ludis agitant juvenilibus undas;
Præſidioque loci tutæ, non gurgitis alti
Ima tenent; vaſtâ littus ſed mole legentes,
E manibus carpunt eſcas, & cætera ſeſe
Bellaquei produnt inter miracula ruris;
Exultantque magis, Lodoix cùm Magnus ad amnem
Ambulat, & quales habuit florente juventâ,
Haud alias animi vires & corporis effert.
Imperii non luſtra putes ter quinque peracta;
Ni partos numeres terrâque marique triumphos,
Vel grandes Atavo videas aſtare Nepotes.
Gloria divitibus quanquàm non ultima menſis — LUCIUS. *Brochet.*
Accedat, ne quære tamen quos Lucius amnes
Incolat : hunc Stagno ſi quis concluſerit, idem
Et Milvo placidas in eadem turre Columbas,
Gallinîſque poteſt ſocias adjungere Vulpes,
Atque trucem ſtabulare Lupum cum mollibus Agnis.
Sævit enim in Piſces dirus regnator aquarum,
Nec proprio parcit generi; niſi fortè paludes
Obſcœnas habitans, clamoſis expleat atram
Ingluviem Ranis; cœno quas eruit alto
Multa coaxantes nequicquam, obitumque ſub ipſum
Irrita jactantes patulo convicia rictu.
Quin & cæruleis ubi garrulus Anſer in undis

Ludit, & inſtantis pluviæ certiſſimus augur;
Mergit aquis retrahitque caput, fluidumque ſupinis
Infundens humeris rorem, ſe proluit amne;
Lucius incautam rabido trahit ore Volucrem
Improbus, & fluvii deducit ad ima vorandam:
Audet & in Pueros, vitreis cùm fortè fluentis
Mollia membra lavant, ſceleratos ſtringere dentes.

TRUTA.

Truta vagos amat obſcuris in vallibus amnes;
Et pigris injecta vadis, oblita decorem
Ipſa ſuum, partûs & amorum neſcia, vitam
Triſtis agit, tardumque refert in carne ſaporem.
Tædia tanta levat, feſſas errore viarum
Qui Stagnis affundit aquas; Trutæque vaganti
Providet hoſpitium labentis ad oſtia rivi,
Et mollem meminit ripam veſtire perenni
Gramine, fulgenti ſabulo conſpergere fundum;
Saxorumque morâ lympham irritare loquacem.
Talibus auxiliis vix Truta carebit: aquarum
Gaudet enim ſtrepitu: nec, queis inclaruit olim;

(*Metamorphoſis.*)

(Cùm tacitos coleret virgo procul urbe receſſus)
Dedidicit priſcos, mutato corpore, mores.
Purpureos inter flores Quercuſque virentes
Ibat, & ingenti labens cum murmure pronas
Rivus agebat aquas, nemoriſque ſilentia rauco
Turbabat ſtrepitu. Sub opacis frigora captans
Ilicibus, vitreique ſedens in margine rivi
Truta verecundos gaudebat fingere vultus,
Aureoloſque levi crines innectere nodo.
Illa ſibi dum ſola placet, faciemque venenis
Inficiens, maculis variat nigrantibus ora;
Haud procul hinc per denſa latens fur luſtra Ferarum
Lucius è latebris oculos in virgine figit,
Incertum eſt opibus captos an amore: decora
Nam facies veſtiſque pari fulgore nitebant.

Proxima ſenſit ubi nemoris virgulta moveri,
Pavit ad aſpectus hominis perterrita virgo;
Et toto fugiens hinc illinc littore, Divos
Clamat, & in tantis duplicat pia vota periclis.
Præruptæ ſuberat rupi nitidiſſimus altæ
Gurges aquæ: curſu virgo conſcendit anhelo
Saxoſum moritura jugum; vitâque pudorem
Servatum bene credit emi, ſi vertice prono
In medias ſe mittat aquas: pede fervidus inſtat
Lucius; & triſti perituram funere Trutam
Apprensâ dum veſte tenet, communibus ambo
Præcipites obeunt fatis, vitamque reſumunt
Conſimilem; Piſciſque nova ſub imagine ſervant,
Lucius audaces animos & cædis amantes,
Trutaque fœmineos trepido ſub corde pavores.
Purpureis remanet guttis ſtellata: decorus
Virgineo ſedet ore pudor: ſtat gratia vultûs;
Quæque fuit ſocias inter pulcherrima Nymphas,
Nunc inter reliquos eſt formoſiſſima Piſces.
Cæde furens non unus erit qui ſtagna cruentet
Lucius; amnicolas agitat Diſcordia fratres:
Alter in alterius meditatur fata perennes
Inſidias: premit imbellem qui viribus audax;
Majoreſque, virûm de more, minoribus inſtant
Terribiles; & quæ ſaltus infamat & urbes,
Vis eadem Martiſque furor dominantur in undis:
Nec potuit bona Pax, terris ejecta, ſub ipſis
Fluminibus, placidos inter remanere Natantes.
Mutua ſed quoniam Piſcis per funera vitam
Suſtinet, alternæ nonnulla eſt gratia cædis.
Quid memorem clades alias, quibus effera Lutra
Depopulatur aquas. Inter ſaliceta penates
Ædificat cæcos; & littore ſpectat ab alto
Æquorei pecoris ludos & prælia, triſti

MUTUA PISCIUM CÆDES.

VARIÆ STAGNORUM PESTES.

Lutra.

Quæ dirimit nece bellantum : nam ſævior hoſtes
In medios celeri ruit improviſa natatu.
Pauca fami, ſed non odiis cæcoque furori
Corpora ſufficiunt : Piſces eviſcerat; atro
Sanguine tinguntur fluctus; ſemeſaque paſſim
Turbatis fluitant reſupina cadavera lymphis,
Exultans animis, & cædis imagine gaudens,
Lutra cavis laceros Piſces taboque fluentes
Congerit, ac tetros inter pernoctat odores.
Fallaces alii pedicas & retia tendant;
Vel ſaturis Lutram invitent ſuccedere naſſis :
Tu cape tela manu; denſiſque abſconditus umbris :
Dum tacito ſtruet ipſa ſuas è littore fraudes,
Cæde fatigatas referet vel ab æquore fauces;
Sterne ſolo; dulceſque tuis da Piſcibus eſcas,
Vulnere confoſſam mittens in flumina Lutram.
Ne faciat quoque cæſa metus; huic detrahe pellem;
Quam Matrona potens multo mercabitur ære.
Si nidum teneroſque Feræ deprendere Pullos
Contigit; abſenti ſobolem furabere matri;
Et dum mollis adhuc ætas faciliſque doceri;
Piſcandi cicurem Lutram formabis ad artes;
Atque ubi tranſverſo ſteterint ſuſpenſa fluento
Lina; cavernoſos rimabitur illa receſſus,
Ejectos ſpecubus Piſces in retia trudens :
Ut Canis excitos agit in venabula Cervos,
Et tacito ſequitur Leporum veſtigia roſtro.
Hoc ego piſcatu tecum Autumnalia nuper
Tempora fallebam, rerum ô ſuaviſſime, feſſum
A ſtudiis & ab urbe, tuo qui rure, diſertis
Sed ſalibus recreas magis, ingenuoque lepore : *(Ubi de Prædio D. de Reſſeguier.)*
Namque ſuum à rivo nomen ſortita, propinquo
Villa licèt mihi præ reliquis tua rideat agris;
Si tamen abfueris, jam me non floribus hortus,

Aurigerâ non amnis aquâ, non mollia verno
Prata colore juvant, non rauco murmure mecum
Viſus & ipſe queri nemora inter frondea rivus.
Ipſa etiam ſtudii hortatrix, eademque levamen,
Laurea ſylva vagam tua poſt veſtigia mentem
Vix revocare poteſt, & amicis reddere Muſis.
Sæpius ergo tuo cùm te veniente redibant
Deliciæ ruri, placuit piſcoſa ſecundum
Flumina, nunc timidos Lutrâ famulante Natantum
Exagitare greges; nunc ad vivaria, ſumptu
Quæ tibi regali Patres conſtructa pararunt,
Stare ſimul, docilemque vadis immittere Lutram;
Illius & piſces educere fauce trementes.

Æquoreos etiam Mures, Fibrumque voracem, *Mures Aquatici.*
Qui deſolatas populantur cædibus undas,
Aggrediere dolo: ſubeuntem in flumina Fibrum *Fiber*
Siquando procul aſpicias è littore, telum *ſeu*
Necquicquam expedies pharetrâ, mortemque parabis: *Caſtor.*
Gnarus enim fraudum, fur enatat uſque ſub amni;
Nec quibus ingreditur, ripis emergit ab iiſdem.

Jam ſi Canna virens & juncea ſylva paluſtres *Arundines.*
Obſedere lacus, medios ne cædite culmos; *Junci.*
Qui remanet vitiabit aquas putredine truncus;
Et nova vivaci ſeges abs radice reſurget.
Commoda vellendis adhibetur cymbula Cannis:
Pellitis alii manibus capita alta tenebunt;
Atque alii remis lembum contoque ſaligno
Adverſum impellent, contentaque brachia ducent;
Donec arundineam moveant ad littora ſylvam.

Piſcoſæ ſed nulla magis metuenda paludi *Fames.*
Peſtis erit, quàm dira fames: cerealia lymphis *(ubi de cibo Piſcium.*
Spargite dona viri: morbo ſublata latenti
Si qua peribit Ovis, ſi quis Bos inter arandum
Conciderit, ſubitâ proſtratus morte; vorandum

Turba procax : eſt quod teneris ignoſcitur annis ;
Nulla ſed in Divos ætas ſine crimine peccat.
Eia agite , & noſtræ Monſtrum quod ſerviat iræ ,
Monſtrum immane , ferox , vicino accerſite Ponto.
Dixit , & Oceano votis famulante Sororum ,
Terribilis viſu facies emergit ab undis.
Proſpexere ſimul ; ſimul intremuere , fugamque
Tentarunt pueri ; ſed iners fugientibus inſtat
Membra ligans timor : exanimes ſternuntur ; humique
Proſtratos laniat , ſeſeque in flumina Monſtrum
Projicit ; ac triſti rorantes ſanguine fauces ,
Quaſſans turpe caput , fluvialibus abluit undis.
Horrendam Nymphæ cladem gemituſque cadentum
Audierant ; iraſque placet ſatiare videndo.
Fœmineo quid non poſſunt in corde juventus ,
Et decor , in pueris etiam poſt fata ſuperſtes ,
Qualis ineſt flori , qui cùm ſucciſus aratro eſt ,
Pulcher adhuc , languente licèt cervice , recumbit.
Credula res amor eſt : ſpectant hinc inde cruorem
Effuſum , ac Juvenes ſparſim tellure jacentes ,
Et dubitant metus an mors ſtraverit : altera molli
Tentat corda manu , digitiſque recludit ocellos :
Altera in extremis quærens num fortè labellis
Halitus erret adhuc ; os molliter applicat ori ,
Oſcula prætexens pietate : ſed irrita ſeram
Cura requirit opem : nam quos in littore verſant
Impia mors animâ gelidos ſpoliaverat artus ;
Jamque tenebroſas fauces inamabilis Orci
Flebilis Umbra tenens , trucis implacata Charontis
Pectora pene movet precibus fletuque decoro.
Triſtia Naïades miſeratæ fata jacentum ,
Oravere Deos , ut vivus in ima rediret
Oſſa calor : nullis ſed flectunt Numina votis ;
Et precibus plus in pœnam valuiſſe dolentes ,

Frigida membra trahunt alto tumulanda ſub amne.
Poſt ubi cæruleos tetigere cadavera fluctus ;
Fit puerûm nova forma : brevi manus utraque pinnâ
Contrahitur : ſquamis riget aſpera pellis : in unam
Crura pedeſque ſimul caudam falcantur ; & undas
Jam ſecat adverſas Fluvii novus incola , priſcam
Ingenio referens membrorum & mole juventam :
Nam genus hoc nullâ creſcunt ætate , perennes
Exercent ludos , rixantur , amantque viciſſim ;
Et nequeunt priſco puerûm de more , nec unà
Vivere , nec ſociâ ſeſe divellere turbâ.

PISCES A FURIBUS TUENDI.

Nocturno ſupereſt Piſces à fure tueri ,
Armataſque trabes imo demergere fundo ,
Retia quæ teneant unco furacia morſu.

CALX ET DAPES VENENATÆ INJECTÆ PISCIBUS.

Damna ferunt graviora , malis qui miſta venenis
Pabula , vel vivam jaciunt in flumina calcem.
Hauſit ubi peſtem , violentior enatat undas
Piſcis ; & in varios amnem ſecat ebrius orbes ,
Æquora ſumma tenens ; cæleſtis ut aëris hauſtu
Compeſcat furiale malum , quod viſcera torret :
Sed ſtomacho magis uſquè furit teterrima labes ;
Et jam deficiunt vires animique natantem ;
Jam trahit extremas ægris pulmonibus auras ;
Et fluitat reſupinus aquis : dolet ipſe malorum
Author , & exigui vaſtata cupidine lucri
Stagna videns , diras ſceleris reus improbat artes.

PISCIUM RECEPTACULUM.

Ut pingues facileſque capi vivaria menſis
Sufficiant Piſces ; anguſtum pariete ducto
Claude locum , pleno quà defluit amnis ab alveo :
Murmur enim labentis aquæ , vel odora Natantes
Eſca trahens , dulci coget ſuccumbere fraudi.
Vimineæ pandent iter irremeabile naſſæ ;
Captivumque gregem largo ſolabere victu ,
Ut pinguem clauſo ducas è carcere prædam.

Poſt aliquot meſſes, verno cùm tempore longa
Chriſticolæ paſcunt uno jejunia Piſce;
Tempus erit ſtagnis emittere flumen apertis,
Squamigerumque pecus plenis efferre caniſtris.
Laxatis infrà portis erumpit aquæ vis,
Per valles per ſaxa ſonans, vireſque miniſtrans
Fluminibus nullo mirantibus imbre tumentes
Ad pelagus ſolito ferri violentiùs undas.

STAGNA EXHAURIENDA.

Interea turbatur aquis: vagus undique Piſcis
Curſitat, & lymphâ jam deficiente, ſupremos
Conſequitur fluctus: ſtagnis ſed lapſus ab altis,
Vimineos cadit in corbes; vitamque relinquens
Cum fluvio, tenues animam diffundit in auras.

Ne pereat gens tota; vagæ miſerere Juventæ;
Piſciculumque vadis hærentem tolle, futuræ
Spem ſobolis; vivumque novæ demitte paludi:
Enatat; & rerum trepidus, latèque vacantes
Admiratus aquas, lacubus dominatur avitis.

Exhauſtis remanet ſtagnis Anguilla, paluſtri
Merſa luto caput & ſinuoſa volumina torquens:
Repentem per ſtagna manu comprende tenaci;
Ne fluat; & vacuam, cùm jam cepiſſe putabis,
Fortunæ ſimilis, fruſtretur lubrica dextram.

Fertilibus dites ſcateant dum Piſcibus undæ,
Retia nulla trahes; prima tibi meſſis in herba
Ne pereat: naſſis poteris fallacibus uti,
Littoreumque nigris accendere noctibus ignem:
Piſcis enim novitate rei perculſus, ad oras
Proximus accedit rutilas; aviduſque ſciendi
Dum ſtupet & flammam crepitantem concipit aure,
Retibus incautum ſupera, vel fige tridenti.

PISCATUS IN STAGNO NONDUM FREQUENTI.

Curarum vacuas aliis fas artibus horas
Fallere, piſcoſum quibus haud populaberis amnem.
Inprimis viridante ſedens in margine ripæ,

Fatalique vagos invitans munere Piſces,
Objicies dapibus tectum lethalibus hamum.

LINEA PISCATORIA.

Gramineam nuper, memini, Puer amnis ad oram
Sederat, ingenti juvenum ſpectante catervâ.
Tortile procerâ pendebat arundine linum:
Æquoreæ objiciens genti celata doloſis
Æra cibis: tacito puer alta ſilentia nutu
Imperat, infidum jaciens in flumina ferrum.
Conſpicuus barbâ vitreas tum fortè per undas
Grandior errabat Mullus: vidêre volentem
Nolentemque dapes morſu contingere, prono
Nunc labi fluvio, caudâ nunc remige fluctus
Ire per adverſos; & quò revocabat edacem
Notus odor, flexis iterum ſe reddere gyris.
Qualis ubi tædam pictis circumvolat alis
Papilio, gaudens quo mox periturus ab igne eſt.
Interea preſſo Pueris vix ſpiritus ore
Ducitur: alternà fluitat ſpe mobile pectus
Ambiguoque metu: prædâ lætantur opimâ,
Amiſſamque dolent; & in uno piſce ſub undis
Defixis hærent oculis, ardentque tuendo.
Imperioſa metum vincit gula: credulus eſcam
Corripit, & fuſo ſorbens cum ſanguine Barbus
Sentit ineſſe dolos: ſed quò magis ore venenum
Expuere, & ferro tentat ſubducere fauces,
Altiùs æra manent læſo defixa palato.
Protinus elatâ piſcator arundine Barbum
Extrahit, & ſiccâ moriturum extendit arenâ.
Ille ſuum ſpectans fluvium, dat in aëra ſaltus
Terque quaterque leves, animiſque cadentibus udâ
Cùm nequeat grave corpus humo jam tollere, pulſat
Indignante ſolum caudâ; mox ilia ducens,
Infeſtas animam moriens expirat in auras.
Nullus erat tanto ſpectantum ex agmine, Piſcis

Qui barbam pinnaſque manu contingere nollet.

Hìc tum fortè puer fabellam aggreſſus anilem
Barbus, ait, carnoſa dedit cui barbula nomen,
Vir quondam letho propior feſſuſque ſenectâ,
Jam propè centenos vitæ compleverat annos:
Frons erat antiquâ rugoſior ilice, pronum
In terram caput, ora cavo deformia rictu,
Excuſſi dentes, manus oſſea, fuſa comantis
Cæſaries barbæ mento demiſſa jacebat;
Nodoſuſque gradum baculus firmabat inertem.
Fluminibus teneros aſſueverat ille per annos,
Humida lina trahens; atque ut provectior ætas
Debilitat veteres, ſed non extinguit, amores;
Sectabatur aquas; & quanvis obſitus ævo,
Piſcibus inſidians gaudebat adunca doloſis
Æra cibis tegere, ac puerilem ducere prædam.

(Metamorphoſis.)

Cùm ſemel extremâ ſenior conſiſteret orâ,
Percutiens baculo lambentem littora Piſcem,
Nec titubata tenens lævi veſtigia ripâ,
Pronus in undoſum miſerè devolvitur amnem.
Cum rapidis luctatur aquis; & flumina dudum
Inguſtata bibens, languentia brachia plauſis
Jactat aquis; precibuſque magis quàm viribus uſus;
Vota facit; nihil hæc quoque profectura roganti.

Jamque ferebatur lymphis exangue cadaver,
Cum ſenis interitum miſerans Regnator Olympi
Vive, ſed æquoreos Piſces ait inter, aquarum
Incola vive novus: neque enim quæ vita manebat
Eſt tanti, primos cures redivivus ut artus;
Effœtique brevem mavis tibi corporis uſum.

Dixit; & in tenues panduntur brachia pinnas;
Contractique pedes caudam junguntur in unam:
In ſquamam toga panniculis conſuta rigeſcit;
Et propè qualis erat, ſpinæ manet arida crates;

Barbaque pendet adhuc mento concreta ſenili.
Exciderant dentes : gingiva remanſit inermis :
Omnia quæ priſcam referunt in Piſce ſenectam;
Ipſaque maturos ævi provectior ætas
Nobilitat Barbos ; & queis mortalia paſſim
Cætera depereunt, ſibi laus accedit ab annis.
Præbueram vanis pueri ſermonibus aures ;
Incipio queis pauca ſuper ; variaſque ſecutus
Piſcatorum artes , & triſtia fata Natantum ;
Sors eadem , dixi , vos ô lectiſſima turba ,
Inſidiæque manent ſimiles : nam piſcibus unis
Extuderat quos priſca dolos induſtria ; pejor
Fallendis adhibet jam nunc mortalibus ætas ;
Virque virum capit , inſidi vel muneris hamos
Objiciens avidis nimiùm , vel retia tendens
Indepreníà parum cautis , aut oppida miſcens ,
Turbidiora ſuis proſint ut tempora rebus.
Hac ætate capit vos inſidioſa voluptas ,
Melle linens ſua dona , gravi quæ triſtia quondam
Pectora torquebunt ſenſu. Vidiſtis ut eſcam
Deliciaſque breves vitâ mercatus ademptâ ,
Interiit Piſcis , dulci malè credulus hamo :
Non aliter fraudem blandis inimica voluptas
Occulit illecebris ; quibus inconſulta Juventus
Si capitur , jam non magis hauſta venena tenaci
Egerit ex animo , captus quàm Piſcis aduncum
Sanguineis potuit divellere faucibus hamum ;
Sed longo mœrore brevem dulcedinis uſum
Æternaiſque luet vix cognita gaudia pœnis.

 Lib. XVI.



PRÆDII RUSTICI LIBER XVI.

Vivarium.

LAMONIUS, peragrata priùs quàm rura relinquam,
Sylveſtres agitare Feras jubet: ardua quanquam,
Juſſa faceſcentes, ponamus tenuïa primùm **Leporarium.**
Clauſtra domoſque tibi, Villæ Lepus hoſpes agreſtis;
Septa paraturi ſylvas majora per altas
Et Capreæ, & Damæ timido, Cervoque fugaci.
Seu parvas habitet laxaſve Cuniculus ædes; **Cuniculorum fœcunditas.**
Sive domi captivus agat; ſeu liber apertis
Expatietur agris; denſam mirabere prolem,
Natorumque greges; quos indefeſſa laborum
Mater alit, partus anni cum menſibus æquans:
Pendet enim ſoboles Nutricis ab ubere, ventrem
Cùm nova prægnantis tendit fœtura tumentem.
Captivum vaſto Leporem juvat æquore curſus
Exercere vagos, & aprico ludere campo:
Indulge ſpatiis; arcti ne tædia norint

Carceris ; & teſtem referant in carne ſaporem.

Vix poteris muro gentem cohibere fugacem ;
Ni quantùm æthereas paries aſſurgit in auras ,
Obruta ſint imis tantùm fundamina terris.
Foſſor humum cavat ungue Lepus , muroque ſub ipſo
Quærit iter ; triſti quo ſe ſubducere clauſtro
Poſſit , & immenſis errare licentiùs agris.
Liberioris enim vitæ ſpes blanda Ferarum
Sollicitat genus omne : famem pluviaſque nivales
Atque Hyemem nudo tolerare ſub æthere malunt ,
Arctiùs amiſsâ quàm libertate teneri ,
Et ſaturis lare ſub certo præſepibus uti.

CUNICULORUM CLAUSTRA.

Sunt qui ſtructilibus ducunt pro mœnibus undam ;
Et præcincta cavis vallant Leporaria foſſis :
Dant & aquis Piſces ; ludens ut paſcat uterque
Grex oculos , menſaſque cibis exornet inemptis ;
Littoreque ex uno jaciant & miſſile plumbum
In Lepores & in æquoreos cava retia Piſces.

Ferrea quæ Lepori ſubitam dat fiſtula mortem ;
Terrificum pyrio cùm pulvere fœta ſonorem
Edidit , auditum trepidat grex omnis ad ictum :
Sed mox cum ſonitu pavor evaneſcit in auras ;
Strataque gaudentes ludunt per corpora , noſtri
Conſimiles , quorum blandos mors dira ſodales
Ex oculis in buſta rapit ; triſtiſque ſepulchri
Immemorem tamen exigimus per gaudia vitam.

Si placet auritam nova claudat ut inſula gentem ;
Effodiens circùm , colles imitare ſupinos ,
Aggeſtâ in cumulum tellure : Cuniculus altâ
Gaudet humo , tutos ubi ponat ab imbre penates.
Serpit enim , Pulliſque nocet , qui lubricus amnis
Inſinuat ſeſe raræ per inania terræ.

Foſſa autem ; ſpatiis Lepores quæ continet arctis ,
Bis denos fit lata pedes ; demiſſaque ſenſim

Hinc facilem det ripa viam redeuntibus ; illinc
Alveus adverſa ſit inexſuperabilis orâ ;
Ut cùm ſe tacitum mittet fugitivus in amnem ,
Littoraque audaci petet ulteriora natatu ,
Ungue Lepus fluidam , prærupto margine , terram
Vellicet incaſſum ; pedibuſque adrepere tentans ,
Decidat ; & quoties niſu ſublimis inani
Erigitur , toties altis ruat obrutus undis ;
Viribus ac tandem jam deficientibus , ultro
Vertat iter , vanumque fugæ deponat amorem.
Vel molles Lepori Viciæ vel Avena ferantur ; CUNICULORUM VICTUS.
Plurimaque hinc illinc pomis labentibus arbor
Sufficiat dulces epulas , Aquilæque ruentis
Arceat inſidias , & latè brachia tendens ,
Temperet æſtivos umbroſâ fronde calores.
Præterea fœnum furfurque dabuntur , oluſque
Irriguis paſſim quod inutile vellitur hortis.
Parce tamen , quanvis gratos , apponere Caules :
Caulis enim noto Lepores infamat odore ;
Quod faciunt & lenta Salix , & Populus alba ;
Et quæcumque viret ripis propioribus arbor.
Conciliant dulcem contrà argutumque saporem
Nardus odora , Thymus , Serpillum & Canna paluſtris.
Captivum ſolare gregem ; nec parciùs herbas
Injice , ne tenuet macies ignobilis artus :
Unus enim Lepores impaſtos inter , edendi
Fervet amor : Veneris neque norunt præmia , blandam
Nec ſobolem curant educère : triſtior illos
Cura domat: terram fodiunt , avidoque latentes
Herbarum ſtirpes corrodunt dente , nec ipſam
In ſobolem ſævos horrent quoque vertere morſus :
Seu furor eſt , pietaſve magis ; lentâque putetur
Durius eſſe fame , quàm dente perire paterno.
Sed non una fames Catulorum ſanguine patrem

CUNICULORUM PROLES.

Ora docet temerare: novos ut fœmina partus
Cogitet, & teneros non aſpernetur amores;
Mas necat ipſe ſuam, ſtimulante libidine, prolem:
Tantùm audet ſcelerum Veneris maleſuada voluptas.
Non ignara mali, quoties ad paſcua mater
Progreditur; nidos ſtipulis fœnoque relictos
Occulit, & ſparſam pedibus ſuperaddit arenam.
Tu cave ne reſeres aditus, quos illa (maritum
Formidans) herbis & pulvere contegit alto.
Si patuere fores; ſtupet ipſo in limine mater,
Accuſanſque virum, retro veſtigia flectit,
Ne cæſos videat, ſpectacula triſtia, Natos.
His occurre malis; & quos tellure ſub alta

CUNICULUS MAS ARMILLATUS.

Excavat ungue Parens, ſaxis imitare penates.
Anguſti pateant aditus, quos veſpere claudes;
Nocturnos ne vafra dolos meditetur inermem
In populum Felis. Ne vir gregis ipſe domorum
Interiora furens ſubeat, proliſque cruore
Tingat humum; ferro ſint hiſpida colla triſulco:
Qualia torquatus vulgò gerit arma Moloſſus.
Triſtior ingreditur Lepus armillatus; & arctis
Inſertans foribus caput, ad penetralia matrum
Eluctatur iter; domibuſque excluſus, ab ipſo
Limine nequicquam blandos ſuſpirat amores.
Dura gerit trito quæ mas inſignia collo,
Hunc equidem inſtituunt dominum pecoriſque maritum;
Furtivo petulans audet tamen igne Juventus
Debita jura tori vel aperto invadere marte.
Parce procos volucri, media inter prælia, plumbo
Figere rixantes; ne pro mare fœmina pœnam
Perſolvat: nam ſæpe graves muliebriter iras
Exercent, & bella gerunt aſperrima matres.
Ædiculas ſera ſubiens de nocte, jacentes
Aggrediere mares; quos in convivia captos

Curabis pingui ſaturos laxare ſaginâ.
Veſper ubi monet æſtivæ decedere nocti; CUNICULI CLAUDENDI VESPERE.
Nequicquam compellis agens in tecta, receptum
Non audit laſciva cohors: hinc inde per agrum
Curſitat, & gaudet ſpretis incauta periclis
Æſtivas Jove ſub nudo traducere noctes,
Nec matutinâ prohiberi graminis herbâ.
Erudiendus erit vaſtâ qui voce Moloſſus
Commoneat, morſuque pigros in tecta propellat.
Ille ubi ſe campo medius tulit, atque minaci
Latratu ferus inſonuit, grex totus in imos
Erigiturque pedes; arrectiſque auribus aſtat;
Et pedibus plauſos, viſo Cane, percutit agros.
Haud mora ſecuris properant ſuccedere tectis
Imbelleſque fugâ matres, molliſque Juventus.
Quæ mactare paras epulis, exercita longo
Dulciùs ut ſapiant Leporum corpuſcula curſu,
Pernicem compelle Canem; clauſoque domorum
Effugio, pedibus tantùm curſuque ſalutem
Quærat, & effuſo Lepus evolet ocior Euro.
Mille legit relegitque vias; jam jamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere dentes:
Immemor ad clauſos ſed dum redit uſquè penates,
Vincitur, & duro tandem comprenſus ab hoſte,
Supremo clamore fores compellat iniquas.
Sed jam tempus Apros ſylvis Cervoſque fugaces
Venatu meliore ſequi: quæ ruſtica ſpectant VIVARIUM,
Prædia, quæ duros voluiſti noſſe Colonos,
Omnia jam confecta. Tibi, quæ pauca ſuperſunt,
Scribimus, ô rerum decus & tutela mearum,
Lamonide: neque enim mihi dulcior ulla laborum
Sit requies, quàm ſi tecum inſtituenda Ferarum
Hoſpitia ingrediar; Launæaque rura peragrans,
Adjiciam fundo decus immortale, novaſque

Delicias, domino dignas & ſorte locorum;
Queis tecum, non ſpe tantùm præſumpta Nepotum
Progenies, Atavo ſed jam tibi nata, fruatur.

(Ubi de priorum quindecim librorum argumento.)

Huc ades! agreſtis jam tædia nulla movebit
Ruſticitas: non durus ager rumpendus aratro;
Non ſeges ardenti ſub ſole metenda, nec imbres
Inter, Oliva manu nobis quatienda rigenti:
Non inſectandus raſtris operoſior hortus,
Nec muſto tingenda novo ſordentia crura.
Lanigeræ procul hinc pecudes, pecudumque magiſtri;
Mugituſque Boum: non auribus obſtrepet Anſer;
Non alta tibi triſtè gement è turre Columbæ;
Iratæ nec Apis morſus & tela timebis;
Nec lentus reſides ſtabis Piſcator ad undas,
Hamatum tremulâ moderatus arundine linum.
Nobiliore Feras ſtudio, genus acre Luporum,
Et celerem ſaltus intra venabere Cervum.

QUO LOCO CLAUDENDÆ FERÆ.

Quarè age Launæum nemus ingrediamur: aquarum
Audio præcipites lapſus, tenebroſa locorum
Aſperaque intueor, denſiſque rigentia dumis.
Ille Feris placet horror: amant per opaca jacere
Sylvarum virgulta, ſuos ibi condere fœtus,
Et procul à ſtrepitu ſecurum accerſere ſomnum.
En ut dives aquæ rivus per gramina lætas
Itque reditque vias, ſylvamque perambulat omnem;
Incertus quâ parte fluat, quo tramite cæcos
Evadat ſaltus: quoties heu! laſſus & expes
Hac Cervus vitam atque ſitim deponet in unda.
Quæ tibi mobilibus latè vernantia rivis
Prata virent, herbis nullo morientibus æſtu,
Triticeis albent quæ meſſibus arva, relinques
Paſcendis inarata Feris. Uberrima quanquam
Veſtiat herba ſolum; pingues & ab Ilice glandes
Turbidus excutiat pennis ſtridentibus Auſter,

Cùm

Cùm nix arva teget, vel inerti frigore nudos
Terra ſinus conſtringet; erit ſupplenda per altum
Siccior herba nemus; poſito quò Dama pavore,
Quò Lepores, quò torvus Aper, pictuſque decoris
Capreolus maculis, & fœdis naribus Urus,
Atque leves Capreæ, celſique in cornua Cervi
Conveniant: quam tu ſpecula ſecurus ab alta
Deſpicies variam circum præſepia gentem:
Ut caveis cùm feſta ſuis eduxerat olim
Roma Feras, lætoque dabat ſpectacula Circo.

Impenſæ levis eſt quodcumque paravimus: agros
Immenſos vallare, Feras inhibere fugaces:
Hoc opus, hæc longi moles operoſa laboris.
Non placet humentem formis componere terram,
Fronde ſuperpoſitâ, tecti vice; qualibus hortos
Parietibus gravidaſque ſolent circumdare Vites.
Terreus hyberno ſenſim corrumpitur imbre,
Et Lepores claudit maletuto carcere murus.

FERÆ MURIS CLAUDENDÆ.

Nec tua præcinges ductis vivaria lymphis:
Scilicet oppoſitus Cervos remorabitur amnis,
Horrida qui, timidum quanquam pecus, æquora tranant;
Læta petant Cypriis ut trans mare paſcua terris.
Alter in alterius tergo capita alta reponunt;
Alternantque vices; & qui prior agmen agebat,
Poſtremus ſubit, & dorſo fulcitur amico.
Non oculis terram, noto ſed odore ſequuntur,
Ardua pro levibus Cælo ſtant cornua velis;
Remorumque loco pedibus vada ſalſa propulſant.

Æquales opibuſque tuis animiſque labores
Aggredere, & ſolido circum duc mœnia ſaxo;
Quæ, ſi fata ſinant, quot honos & fama manebunt
Lamodinum totidem ſtent incorrupta per annos.

Roboribus terrâ fixis extrema viarum
Claudere nil prohibet; vacuos ut liber in agros

Captivis pateat gregibus proſpectus ; & Urſos
Atque Lupos avidis poſſit ſpectare viator
Luminibus , dentes nec formidare minaces.
Saxea circuitu ſurgent dum mœnia longo ;
Accipe quis melior ſuccedere debeat hoſpes.

CERVUS Ante alios aderit Cervus , quem pulcher adornet
Frontis honos , oculi grandes , exilia crura ,
Cornuaque in plures ramos diffuſa ; pedumque
Mobilitas , celeres vincat quæ fulminis alas.

Cùm reliquas Natura Feras vel dente vel aſtu ,
Cornibus aut ſævis , vel adunco armaverit ungue ,
Aligeris Cervum pedibus donavit inermem ;
Plana quibus fugiens rapit æquora , ſeque periclis
Expedit ; & lucos inter ne cornua denſis
Implicet arboribus , collum reſupinat ; iterque
Tendit ab obſcuris in aperta novalia ſylvis.

Ignavâ cùm torpet iners pinguedine , campos
Rarus adit , ſylviſque latet , viridantia furtim
Paſcua vix auſus clauſo decerpere Cælo ;
Dum redimat per longa citos jejunia curſus.

Si qua fides , Cervus primo cùm Vere quotannis
Nobile frondoſi capitis decus exuit , imis
Se nemorum latebris recipit , metuitque videri.
Sic cultûs ſtudioſa domi ſe continet ultro
Fœmina ; turritæ linum niſi textile fronti
Altiùs inſurgat , veteri quàm cornua Cervo.

Arboreo cùm dein capiti ſuccreſcere pulchrum
Cœpit onus , ſylvas iterum campoſque patentes
Ambitioſus adit : vitrei quoque fontis ad oras
Cernit inexpletùm liquidis ramoſa ſub undis
Cornua ; nec tantùm correptus imagine formæ
Gaudet hians ; habitum ſed Venatoris & arcum ;
Et quibus eſt periturus amat ſpectare ſagittas ,
Ac levium vecors ſtupet ad miracula rerum.

Hinc ſtolidos ſpeculis ad retia trudere Cervos
Non labor eſt, captoſque novis includere ſeptis.
Finibus at quoniam patriis ejectus, avitas
Cervus inoblito revocat ſub pectore ſylvas,
Æternùmque dolet ſpatiis detentus iniquis;
Materno teneros furemur ab ubere fœtus:
Hinnulus ut clauſtro primis aſſueſcat ab annis;
Tædia nec ſubeant deſideriumque locorum
Quæ fuerint vix nota ſibi; ſed finibus iiſdem
Eſſe putet clauſum, ſua queis vivaria, Mundum.
Optimus hic vitæ modus & menſura beatæ eſt,
Nil vidiſſe, ſuis melius nil noſcere regnis.
At neque difficilis quærentibus Hinnulus: oras
Namque per extremas nemorum ſolet edere fœtus
Cerva ſuos, ubi nulla Lupi veſtigia cernit:
Quem pavet inprimis furem per opaca vagantem.
Ergo latens alta Venator ab Ilice Cervam
Deſpiciat, cùm læta ſuos ad paſcua Natos
Producit; ſaturoſque docet ſaxa obvia curſum
Et frutices foveaſque levi tranſmittere ſaltu:
Natales repetit cunas exercita curſu
Progenies, nigrante Parens quam contegit umbrâ:
Sed vitium eſt juvenile, diu non poſſe quieto
Stare loco. Celebres ſaltus, pertæſa penatum,
Cum paribus gaudens colludere Cerva, frequentat;
Atque ſuos, matrum confidentiſſima, Pullos
Se procùl hinc abſente putat vel longa morarum
Tædia poſſe pati, vel inertes ducere ſomnos.
Proſiliens latebris improvida turba, paratos
Incidit in caſſes; lacrymiſque miſerrima feris
Flet genitrix raptos, cariſſima pignora, fœtus.
Secula, Lamonide, vivant cùm plurima Cervi;
Ne lateat feros ætas diuturna Nepotes,
Si placet Hinnuleo torquem circumdare collo,

HINNULI.

Hæc paucis ſuper inſcribam : *Tum vivere cœpi ;*
Cùm pia Lamonius properans vir ad arma togatus,
Edomuit fera monſtra , jugis enata Gebennis.
Extinxitque facem,quam montibus Hæreſis altis
Protulerat , toti laturam incendia regno.

APER Setigeri ſobolem tutantur amantiùs Apri :
Dulcibus invigilant nidis ; & uterque viciſſim
Excubitor , teneræ nunc mas nunc fœmina proli
Aſſidet , educens ſtrictos in prælia dentes.
Quis tacitâ clam fraude , palam vel Marte laceſſet ,
Quos vigili defenſor Aper ſtatione tuetur ?
Cùm ſoli timet ille ſibi , non provocat hoſtes ,
Ni priùs emiſſo cogant in prælia telo :
Aſt ubi Porcellis nemora inter opaca fovendis
Accubat , eductos ultro prorumpit in enſes,
Atque viatorem tranſverſo eviſcerat ictu ;
Ni cadit in vultum præceps , tacituſque tenet ſe
Fuſus humi , vitamque tuens imitamine mortis.
Sævior errat Aper ſtimulante libidinis æſtu.
Effera rivalem vocat in certamina Verrem ,
Tundit humum pedibus , revolutos naribus ignes
Colligit ; & dentes mordaci cote recurvos
Exacuit ; coſtaſque luto loricat , & armos
Arboris affrictu durans in vulnera , ſetis
Aſperat hirſutis , ſpumaſque agit ore minaces.
Imbelles procul & Capreæ Cervique paventes
Diffugiunt , neque ſtat contrà genus acre Luporum.
At non ille ſuos ſylvis & rure furores
Continet : ingreditur pagos , unàque ululatus ,
Et timor , & luctus ſubeunt , & mortis imago.
Conclamant pueri matrem ; puerosque requirit
Exanimata parens : concurrit ad arma juventus ,
Arma viri capiunt : ſed inulto ſanguine tinctum
Carpititer fugiens ; lucoſque ingreſſus , in ipſas

Sævit Aper Quercus, ac dentibus obvia quæque
Diſſecat, & laceris ſignat veſtigia ramis.
Quis putet auditis miteſcere cantibus Aprum,
Horribilemque Feram modulis in retia duci?
Opportuna dolo capies anguſta viarum;
Appoſitiſque plagis nemus ingrediere, canoris
Armatus fidibus, dulcique inſtructus avenâ.
Ad cytharæ ſonitum fœdas Aper arrigit aures,
Et ſequitur quòcumque trahit vis blanda canentum;
Nec meminit tenſos, victus dulcedine, caſſes.
Avulſum nemore ex alto dum fœmina totis
Quærit agris gemebunda virum; tu nota Ferarum
Antra petens, nullo ſobolem cuſtode relictam
Arboreis educ latebris: grunnitibus auras
Porcelli querulis implent; miſeramque vocantes
Auxilio, nodoſa vocant ad retia matrem.
Rupicapræ teneros contrà venabere Pullos, RUPICAPRA.
Si matrem teneas: adeo eſt ſtudioſa Parentis
Progenies, ut ſi deduci fune ligatam
Viderit: adjungens ſeſe, latus applicet ultro
Captivo matris lateri, conſorſque malorum
Illius irritet conſoleturque dolores.
Capreolum noto Perdix in retia cantu CAPREOLUS.
Pelliciet: nam mirus amor conjungit utrumque.
Paſcuntur per prata ſimul; ſimul oſcula gaudent
Jungere, & herboſis unà colludere campis.
Formoſæ dorſo pecudis formoſior ales
Inſilit; aut celſis ſe cornibus altior effert.
Dum potuit fugiſſe virùm conſortia Perdix;
Novit amicitiæ leges & ſacra tueri
Fœdera: ſed noſtros, cicur atque domeſtica, mores
Induit ac fraudes; & amico perfida cantu
Appoſitos vocat in caſſes, & fallit amantem.
Ille ubi captus erit, plures in retia mittes.

Capreolos, ſylvam reperis ſi fortè per altam
Luſtra, quibus viduas traducit fœmina noctes:
Namque alios poſt fata viri meditatur amores,
Nec ſequitur deſponſa Procum; ſed prævia blandis
Illecebris ad opaca vocat ſpelæa, ſuoſque
In thalamos trahit; & quanvis ſperata doloſi
Gaudia præripiant caſſes; tamen uſquè volentes
Capreolos agit ex altis in retia ſylvis.
Non Danai domus immaduit crudeliùs olim
Cæde virûm, Capreâ quàm decipiente, peremptis
Conjugibus virgulta rubent, & pronuba tellus.

BUBALUS. Bubalus inſpectis qui Venatoribus amens
Sic latitat, caput ut dumis ſylveſtribus unum
Occultans, laceranda truci det terga Moloſſo,
Venatu facili capietur: at omne Caprarum,
PIGARGUS. IBEX. DAMA. Quod ſupereſt, ſylveſtre genus, Pigargus & Ibex;
Damaque prærupti teneant ſi culmina montis,
Obſidione locum cinges, per & invia ſaxa
Durum iter ingrediens, Canibus comitatus odoris;
Aſpera dumoſæ vinces faſtigia rupis.

Stant in præcipiti, & per prodigioſa locorum
Intervalla levem Capreæ dant corpore ſaltum:
Collectoſque ruens Ibex revolutus in artus,
Se lapidum rotat in morem: miratur ab alta
Rupe Canis, latranſque minas intentat inanes,
Quem non dente poteſt, fugientem voce laceſſens.
Dum ſtupet attonitus mirâ vertigine rerum,
Accelera; vallemque priùs quàm crura per imam
Explicet, inſidias & retia tende fugaci.

Sæpe plagas ſub rupe, jugo ſpeculatus ab alto,
Deſilit; atque ſuis, velut unco, cornibus Ibex
Saxoſis enata locis virgulta capeſſens,
Per medium curvâ ſtat pendulus arbore clivum.
Sed nocet ipſe ſuæ, quâ conſulit arte, ſaluti:

Nam medio tenſis dum pendet in aëre membris ;
Non adeunda quidem Canibus , ſed pervia plumbo
Saxa tenens , & glande latus transfixus acerbâ ,
Infelix perit ante diem : ſi viva fuiſſet
Nodoſis Fera capta plagis ; habitanda manebant ,
Pro ſterili tellure , feris pro montibus , arva
Graminea , & nemorum loca læta virentibus umbris.
Ignavâ ſic ſæpe cadit formidine lethi
Inconſultus homo : ſic ſpes abjecta ſalutis
Præcipitat mortem , fatis dubitantibus : ipſam
Nam Fortuna ſolet poſt cætera tollere mentem.

Nullus erit noſtros qui dignior incola ſaltus
Occupet , indomitâ quàm qui cervice Juvencus Bos Ferus et Sylveſtris.
Altior ingreditur ſylvas , alterna ſuperbo
Crura movens faſtu , lucos mugitibus imos
Terrificans ; & adeſſe monens , cui vulgus inerme
Cedat , & obſequio veneretur ſupplice regem.

Saltibus è patriis quem vis humana revulſit ,
Agreſtis comitem vitæ ſociumque laborum ;
Hoſpitio nemorum Taurus reddatur avito ,
Et placidos agitet tranquilla per otia Soles ;
Immuniſque operum , vacuis vel obambulet agris ;
Gramina depaſcens pingui vernantia prato ;
Vel ſatur umbroſo Salicum ſub tegmine , molli
Fultus humo , procumbat iners , & ruminet herbas.

Ille quidem Jove ſub nudo pernoctat ; & altis
Sylvarum latebris Hyemem defendit aquoſam.
Non ſaturis habitat ſtabulis : ſudore madentes
Nulla fricat coſtas manus officioſa Bubulci :
Sed neque colla jugo ſupponere cogit , acerbis
Tergora nec ſtimulis urit , nec ſtipite querno
Membra dolat. Non plena domi fœnilia , latis
Paſcua ſed fundis , dulces in cæſpite ſomni ,
Aurea libertas , & neſcia vita laborum ;

Quæ bonus indulge nemoralibus otia Tauris.
Hinc epulis Vitulos, fortes ad aratra Juvencos
Accipies; acuenſque feros in prælia Tauros,
Martis inexpertam formabis ad arma Juventam.

(Ubi de ludicro cum feris Tauris certamine.)

Nonne vides ut Ibera paret gens fortia bello
Pectora, Taurorum curſus inſtructaque feſtas
Prælia concelebrans, veteri de more, per urbes?
Namque ubi conſedere viri; pictiſque ſub armis
Egregius ſtetit in media bellator arena,
Tela ſolo defixa tenens; jactata per auras
Impavido Taurus petit irritamina cornu.
Demiſſis ad terram oculis dum pronus in hoſtem
Irruit, objectam contrà nec reſpicit haſtam,
Ferri aciem petit imprudens; & vulneris author
Ipſe ſui, fracto demittit in oſſa cerebro:
Præcipiti tantùm nocet acrior ira duello.
Sunt qui, bina feri Bovis inter cornua, pellem
Impingunt oculis piceatam, & luminis orbum
Sanguineis urgent ſtimulis impune Juvencum.
Ille caput quatit, & riſum tollente coronâ,
Huc illuc incertus abit, Cæloque requirit
Arrectâ cervice diem; dumque irrita jactat
Cornua, & in ventum vires effundit inanes;
Uſquè novis foditur telis, totumque pererrat,
Purpureo ſignans veſtigia ſanguine, Circum.
Nunc ab Equo pugnâ qui nobiliore laceſſit
Terribiles irâ Tauros, nec fraude nec ullis
Utitur inſidiis: animo viridique juventâ
Fretus, Equum citat; & pugnæ præludit, in arctos
Quadrupedem flectens orbes: tum provocat hoſtem,
Qui cùm carceribus præceps erupit, & ictum
Jam ſtricto propior cornu meditatur; habenam
Flectit Eques celerem; gyroque elapſus, euntem
Impetit, & longâ Taurum ferit impiger haſtâ.

Ille dolore ferox, ſequitur per aperta volantem
Æquora Quadrupedem; ſed idonea tempora captans
Inſtat Eques, vulnuſque ferens lethale, Juvencum
Sternit humi; victorque virûm converſus in ora,
Laude ſuâ fruitur tacitus, plauſuque faventum.

Venandi ſtudio ſupereſt includere ſylvis — Lupus.
Horribilem feritate Lupum, Vulpemque doloſam. — Vulpes.
Proh quantum exolvat pretium mihi Villica! quanti
Paſtor emat! merito damnem ſi carcere fures.
Non ita difficile eſt vivam deprendere Vulpem:
Poſt ubi compertum quo ſe nocturnaque condat
Furta cavo; tetros accendant intùs odores,
Et poſitos primo tendant in limine caſſes.
Impatiens fumi ſubit ultro retia Vulpes:
Vincit enim verſuta dolor quoque pectora, præſens
Exitii neque pœna ſinit meminiſſe futuri.

Mirâ fraude Lupum capies, piſcaria celans
Æra cibis: carnes & inextricabile ferrum
Hauſit ubi, vis nulla poteſt exolvere rubras,
Non Ovium jam cæde ſuo ſed ſanguine, fauces.

Præcipites etiam in foveas gula trudit edacem
Imperioſa Lupum. Cæcos telluris hiatus
Contege fronde levi: vinclis ſtet mollibus Agnus
Deſuper evinctus, querulâ qui voce Parentem
Evocet; audito properat Lupus acrior Agno,
Et prædâ ſtimulante ruit; ſecumque fragoſam,
Subſidente ſolo, deducit ad ima ruinam.
Dum pavet, & tantis quâ ſe ratione periclis
Expediat; ſecum foſſa meditatur in ima;
Et trepidum lacerat, nec edit famis immemor Agnum;
Demittes valido ſuſpenſam fune, gravemque
Roboreis caveam clathris, quam porta recludat
Penſilis: emiſſo lapidum perterritus imbre,
Sponte ſuâ Lupus iligno ſe carcere claudit;

Cæloque eductus, revolubile corpus in orbem
Circumagit, lucem fugiens oculoſque videntum.
Illudunt capto pueri, vanâque tumentem
Jam rabie, & ſtricto nequicquam dente minacem,
Ingenti vicina trahunt per compita plauſu.

De venatione.

Venantum locus ingenuas hîc ire per artes,
Et Canibus teliſque ſequi genus omne Ferarum.
Nobilium labor ille virûm eſt, bellique cruenti
Dulce rudimentum: Juvenes exercita curſu
Corpora venando durant ad frigus & æſtum,
Corda ſibi generoſa parant, animamque capacem
Mortis, & expertem media inter tela pavoris:
Exercent & ad arma manus; aſtuque Ferarum
Ac nemorum inſidiis, & bellica furta docentur;
Hoſtileſque dolos: domitorum ſtrage Luporum
Nobile Martis opus diſcunt, & ab hoſte tuentur
Defenſos Apris à vaſtatoribus agros.

Fluxit in hos Juvenum nunc mollis inertia mores,
Ut niſi venandi ſtudium firmaverit artus,
Torpeat enervi cum corpore bellicus ardor:
Deſeruere pilam, ſimulachraque ludicra pugnæ,
Et celeres in Equo curſus: non flumina nando
Trajicere, & duris juvenilia membra palæſtris
Exercere juvat, pictis ſed ludere chartis,
Concertare ſcyphis, Mimoque obſcœna jocanti
Plaudere, vel Satyri riſus captare dicacis,
Proque tuba mollem chelyn, & peccare docentes
Hiſtorias, vel quos moriendo Cygnea cantant
Ora Tragædorum querulos audire dolores.
Veſtitu indulgent muliebriter, oraque fuco
Dedecorant, ſpeculumque magis quàm ferrea tractant
Tela manu: dant vel choreis vel amoribus unum
Dulcibus aut epulis ludum; reſolutaque luxu
Corpora militiæ tradunt; niſi fortè Dianæ

Quàm Veneri ſervire, Feriſque nivoſa ſequendis
Per loca maluerint acri prævludere bello.
Cautior exemplo mores & tempora Princeps
Emendare volens, ubi magna negotia Regni
Explicuit, vacuas rerum venatibus horas
Dans Lodoix, bellum Gallos deſueſcere longâ
Pace vetat; Juvenum florem per acerba locorum
Indefeſſus agit vaga poſt veſtigia Cervi;
Et ſoles hyememque pati, Martiſque labores
Ferre docet, præſenſquè levat: duce Principe ſudor
Erroreſque placent; neque jam palatia curant,
Cùm populi Lodoix amor inde recedit, & Aulæ
Delicias ſecum montes tranſmutat in altos.

(Ubi de Ludovico XV.)

Italidum Ravaſine decus, qui clarus avito
Nomine, gentilem poſt ſecula multa redonas
Virgilium Patriæ, nobis quas ille reliquit
Ruris opes, tu perge ſequi: jam (1) prata, meaſque
Falce retractaſti Vites meliore; ſuiſque
Prædia donaſti lymphis: venatibus aptos
Ingrediens lucos; quas, ô clariſſime Vatum,
Exercere tuum eſt, ampleƈtere verſibus artes.
Me ſatis eſt potuiſſe vias aperire Poëtis,
Certatim ſtudiis qui ſe communibus uno
Mecum curriculo nunc effudere; monentque
Solvere tempus Equos, & aperto cedere campo.

Cervi venandi.

Unum ergo Canibus Cervum curſuque laceſſam,
Prætericns Leporeſque vagos, Vulpemque rapacem,
Et Capream, & lætis inimicum meſſibus Aprum.

Inquisitio.

Ne tamen incerti nemorum per denſa vagemur,
Veſtiganda Feræ nobis ſpelæa, priuſquam
Bellantum campis acies procedat apertis:
Fortuitis neque enim luſtris, vagus hoſpes, opacos
Per ſaltus habitat Cervus; ſed paſcua propter

(1) *Varia Ravaſini Poëtæ Itali poëmata.*

Stat ſua cuique domus, frondentibus abdita ramis :
Atque illum ſtabulis niſi deturbarit avitis
Vis infeſta Canum, Venatorumque tumultus,
Non aliâ veteres permutat ſede penates.
Si quem nactus eris primo qui flore juventæ
Fervidus antevolet zephyros ; hunc reſpue, curſu
Ne Catulos ipſaſque vago clamore fatiges
Incaſſum ſylvas ; & ſpe ludaris inani.
Anteferes Cervum qui jam gravitate ſenili
DELECTUS. Tardior eſt, aſtuque magis quàm robore pugnat ;
Certaque ſigna pedum notoſque relinquit odores,
Inſcriptis graviora premens veſtigia terris.
Non dubiis autem indiciis agnoſcitur ætas :
Ipſa pedum, molles remanet quæ ſculpta per agros,
Forma docet : namque in ſenium vergentibus annis,
Contrahitur, neque jam partes diviſus in ambas
Pes apparet humi ; longo ſed tritus ab uſu
Cernitur, & luteis infigitur altiùs arvis.
Stercora ſi qua cavis occurrant aſpera rugis
Pinguiaque ; annoſæ ſint hæc quoque ſigna ſenectæ :
Præterea Cervus, rerum inſcius, hoſpita recto
Tramite luſtra petit : longo ſed cautior ævo,
Diſſimulans iter, implexos per mille viarum
Circuitus, ſtabulis ſeſe frondentibus abdit,
Aſſuetos repetens, orto jam Sole, penates.
It quoque jam ſenior paſſu breviore ; nec annos
Poſt aliquot, plantis cum poſterioribus uno
Anteriora pedum coëunt veſtigia ſigno.
Talibus inſtructus monitis Venator, opacos
Manè petit, tellus albet dum roſcida, ſaltus.
Prævius it loro Catulus devinctus, odorâ
Rimetur qui nare Feram ; & veſtigia nactus
Certa pedum, læto greſſu caudâque trementi
Admoneat dominum, neque jam dubitanter oberret,
Compreſſâ

Compreſſâ ſed voce petat ramoſa latentis
Tecta Feræ : ſtricto reprimes tunc ſune Moloſſum;
Ulteriùs ne tendat iter ; Cervumque fugacem
Excutiat latebris , vaſtumque effundat in æquor.
Namque levem pavet ad ſtrepitum; gnaruſque pericli
Membra toro levat ; atque oculos è limine circùm
Conjicit ; arrectâque ſonos examinat aure.
Ancipitem ſi fortè vides , nec vana timentem ,
Falle dolo ; tacitumque jubens per denſa latere
Sylvarum virgulta Canem , Paſtoria mitte
Sibila ; vel reſonâ Quercus invade ſecuri ,
Et frondatorum modulos imitare canendo ;
Depoſitâ donec jaceat formidine Cervus ,
Et teneram qui nocte vagus depaſcitur herbam ,
Stratus humi ſomno det languida membra diurno.
Ne prædâ tamen incaſſum lætere repertâ ,
Haud procùl ad dextram deflecte; Feramque relinquens
In medio , ſpatiis circùm procede recurvis ;
Cautiùs obſervans ſpreto num fortè cubili
Fugerit hinc aliò , pulſus formidine , Cervus.
Quod dum nare Canis ſcrutabitur ; inter eundum
Æſculeos ferro paſſim tu dejice ramos.
Semiputata ſuis pendent quæ brachia truncis
Signabunt iter ambiguum : Canis orbe peracto
Prima quieſcentis releget veſtigia Cervi.
Tunc iterum ſylvis cedens , virgulta reſtringes
Monſtratura vias ; ut cùm lux craſtina Mundo
Fulſerit , indiciis certis & tramite noto
Heſternos iterans curſus , ad priſtina noris
Luſtra Feram rediiſſe : pedum tum denique formam
Avelles humente ſolo ; nec ferre pudebit
Stercus humo , Cervi propter ſpelæa , repertum :
Ut loca mox condicta petens , quam vincere verbo
Non poteris , magnâ Venantum aſtante coronâ ,

Hoc utroque tuam defendas indice cauſam.

VENATIONIS APPARATUS.

Jam poſitâ prope fontis aquas in cæſpite menſâ,
Conſedêre viri; fraudataque corpora ſomno
Simplicibus curant epulis hilarique Lyæo:
Jamque Canum clamoſa cohors epulatur & ipſa
Parciùs; ut vacui rabies quoque ventris edaces
Acriùs in Cervum ſtimulet: ſibi namque ſuiſque
Venantur Catuli menſis; Homineſque Feraſque
Publica communi dudum lex colligat uſu,
Ut quantùm ſperant, tantùm ſibi mutua proſint.
Interea miſſi variis è partibus adſunt
Exploratores nemorum; prædæque repertæ
Demonſtrant per ſigna pedum manifeſta ſenectam.
Omnibus ut primùm fandi data copia, Cervus
Eligitur ſenior, quem plana per æquora Cælo
Cornua tollentem, præſtet ſpectare ſequaces
Ante Canes; qui fraude vafer quâ laſſat, eâdem
Venantum ſtimulet curas; & tardior ævo
Poſt aliquot cedat, defectus viribus, horas.
Æquævos inter Cervos placet ille, nigranti
Exterior nemorum quem contegit angulus umbrâ:
Nempe per immenſos illinc protruditur agros;
(1) Notior ut Canibus fiat; nulloque trahantur
Dein errore, nemus refugit cùm Cervus in altum.
Hunc ubi frondoſo ſtat proturbare cubili,
Surgitur: optatum pugnæ dat buccina ſignum,
Quo fremit audito Quadrupes; & ſeſſile tergum
Subjiciens Equiti, campo ſeſe arduus infert.
Exiliunt, nemorumque Canes teſtantur amorem,
Et querulis demi ſibi vincula vocibus inſtant.
Non temerè tamen, & ſine lege feruntur in hoſtem.

(1) Notior *fit per odorem graviorem quem diffundit Cervus curſu exercitus*, *ut explicatur infra*, p. 315. Nare recognoſcunt, &c.

In varios partita globos it odora Canum vis:
Præficitur Dux cuique ſuus: generoſior altis
Militat in ſylvis acies, Cervumque laceſſit;
Et procul hinc variâ reliqui ſtatione locantur,
Poſt emenſa vagis qui curſibus æquora, feſſam
Excipiant, firmentque novo dein robore turmam.
Præſidia hæc immota manent; nec prælia tentant
Antè Ducis quàm juſſa vocent: levis ala jubetur
Ponè ſequi per nota viæ compendia, præſens
Ut Canibus ferat auxilium, cùm poſtulat uſus.

Compoſitâ belli facie, proceditur altum
In nemus; & fruticum denſo munimine ſeptam
Obſidione Feram cingunt, luſtroque propinquant.
Stant Equites circùm dextrâ lævâque; Canumque
Turba ſagax hinc inde Feram rimata, canoro
Latratu pavidam exagitat. Ne protinus erres,
Sedulus obſerva jam tum veſtigia Cervi;
Cùm celer è latebris in apertos proſilit agros: CERVUS E LATEBRIS EJECTUS.
Semper enim lateri comes indiviſus amico
Junior accumbit Cervus; qui fœdere miro
Auxilium vetulo ferat, accipiatque viciſſim.
Callidior longoque ſenex exercitus uſu
Paſcua tuta docet, juvenemque tuetur inermem:
Aſt ubi res agitur pedibus curſuque, periclum
Sponte ſubit; ſociumque jubens conſiſtere ſylvis,
Junior audacis tentat certamina curſûs.

Ergo fugax impune nemus tranſmittat & agros:
Tu Catulos, qui ponè vagis latratibus inſtant,
Voce tubâque voca, primas hortatus odorâ
Quærere nare vias, primoſque iterare labores.
Imperio parent ægrè, reducesque latentem
Atque tenebroſo dubitantem exire cubili
Excutiunt Cervum: fugit ocior ille, moraſque
Corrigit; & flexis retro per colla per armos

Cornibus, evadit lucum: tum vertice recto
Arva volans per aperta, Notos poſt terga relinquit:
Sylva virûm ſtrepitu ſonat & clangore tubarum,
Latratuque Canum: quanvis intelligat unum
Se tanto clamore peti, nec vanus oberret
Ima per oſſa tremor; primo tamen impete Cervus
Mobilitate pedum viget, & juveniliter agris
Exultans, ævi florem mentitur, & annos
(Aſtutæ fraus prima Feræ) tegit alite curſu;
Conceptas ut ſpes adimens animumque ſequendi,
Suadeat alterius latebras inquirere Cervi.

CERVI ASTUTIÆ. Mox ubi Venantum, juga poſt frondentia, ſeſe
Abſtulit ex oculis; pedibus diffiſus, ad aſtus
Vertit ſe ſolitos; recto nec tramite fertur,
Sed per itus redituſque, pedum veſtigia turbat;
Vel curvis magnos ſpatiis vagus errat in orbes:
Tum leve corpus humi mittit procul alite ſaltu,
Indeprenſa Canes fallant ut ſigna ſequentes.

Pinguia ſi Taurum reperit per paſcua, dorſo
Inſilit; & coſtis hærens, uterumque rigenti
Calce premens, celerare gradum jubet: ilia riſu
Concutiunt circùm qui quadrupedante Coloni
In Bove proſpectant equitantem & grandia Cælo
Cornua tollentem Cervum: novus herbida curſor
Emenſus ſic arva, Canes ubi luſit odoros,
Deſiliens fluit ad terram; Tauroque relicto
Vepre latet, reputans ſecum quâ fraude tenacem
Conſilii, quibus aut ludat vafer artibus hoſtem.

Ambiguis ne cede dolis; oculoque fugacem
Camporum per plana Feram licèt uſquè ſecutus,
Ne breviora tamen compendia quære viarum:
Obſervata Canes retro veſtigia Cervi
Circuitus per mille legant; ut deinde ſequaces
Signa pedum teneant, longo jam cognita curſu.

Laſſus enim ſylvis iterum ſuccedit opacis ;
Seque viæ comitem Cervis errantibus addens ,
Immiſcet pacata ſuis armenta periclis ;
Alteriuſve petens ramoſa cubilia Cervi ,
Excutit hunc thalamis , qui viribus integer hoſti
Concurrat , pedibus fretus Phœboque cadenti.

Hîc dubios & voce Canes hortare tubâque ;
Et quorum tibi nota fides , Labrona , Melampum ,
Ichnobaten , Leucon , & Ilactora ſæpe vocatos
Nomine compella proprio ; quæ gloria tangit
Extimulatque Canes , dominorum & laudis amantes.
Tuque laborantes variarum errore viarum
Confirma monitis Catulos ; ſi fortè reviſens
Signa pedum , mutata Feræ veſtigia noris.
Aſt ubì conſimilis venit in certamina Curſor
Par ætate , pares ſignans in pulvere plantas ; *Ubi de canum ſagacitate.*
Arbitrio dirimenda Canum eſt res tota ſequentum.
Nare recognoſcunt illi ſudore madentem ,
Jamque viâ , longoque pedum certamine laſſum.
Cervus enim longos cùm vaſta per æquora ſudans
Explicuit curſus , graviorem expirat odorem ,
Quàm cùm manè recèns ſylvis egreſſus ab altis ,
Præpetibus ſummam plantis vix libat arenam.

Ergo vias hinc inde Canes rimantur odoras ,
Atque ubì de numero quis fortunatior omni
Nare fatigati relegit veſtigia Cervi ,
Continuò ſocios latrans compellat ; at illi
Altiùs erectâ ſpectant cervice monentem ,
Deſpiciuntque , Canes inter ſi nullius ille
Nominis eſt meritique : fidem ſed ſi quis anili
Voce facit , longo miles veteranus ab uſu
Cognitus ; accurrunt omnes , junctoque feruntur
Agmine , dum reſonis tandem latratibus actam
Effundant iterum ſpatioſa per æquora prædam.

Cervus ab antiquo ſylvæ frondentis abactus
Hoſpitio, quanvis jam fractus & ilia pulſans;
Spem tamen & curſu vires affectat anhelo;
Donec ab aſpectu longè ſemotus, onuſtum
Ad dextram lævamque caput demittit, & ægros
Molitur titubans, exhauſto robore, paſſus.
Prælia ſi poſt longa Canes videantur & ipſi
Segniùs ire; recens atque integra turma labantes
Suſtineat, ſocioque novas ferat agmine vires;
Jamque fatigatam ſuſpiriaque ægra trahentem
Exagitans majore Feram clamore, pavorem
Augeat, & ſolâ fractam formidine vincat.
In celeri cùm nulla ſuper fiducia curſu;
Nulla fugæ, ſpes nulla doli; quæ ſola ſalutis
Occurrit via, præcipitem ſe Cervus in altum
Flumen agit: prono nantem rapit alveus amni;
Et cùm jam pedibus gradiens contingit arenam;
Ne qua fugam liquidum per iter veſtigia prodant,
Per vada longa viam ſecat; egreſſuſque fluento,
Vix movet ignavo torpentia frigore crura.
Inſtabunt tepido Catuli ſudore madentes;
Oraque projectis pandentes arida linguis.
Igneus ardor aget nando per flumina Cervum
Velle ſequi: cohibe audaces, & nave paratâ
Tranſvehe; ne tepidos penetrabile frigus in artus
Gliſcat, & enervi ſolvat torpedine vires.
Agmine partito, ripas hinc inde ſagaci
Nare legant; nactique Feræ veſtigia, lætis
Devia continuò latratibus agmina cogant.
Cervi mors. Haud procul inde metu Cervus perculſus inerti,
Sollicitâ capit aure ſonos Hominumque Canumque;
Feralemque tubam, præſagia triſtia mortis,
Audit; & exanimis quanquam trepiduſque, pavorem
Comprimit ignavum, tumidaſque recolligit iras:

Sive ſuos etiam moriens non exuat aſtus :
Sive novas addant ſuprema pericula vires.
Ima ſedens in terga, caput ſublimis & armos
Erigit ; ac furiis accenſus, turbida diris
Aſperat ora minis ; ut, qui pavet ipſe, timorem
Incutiat, retroque Canes avertat, inulto
Vel non indecorem timidus det ſanguine vitam.
Ergo laceſſentes confuſis vocibus hoſtes
Provocat intrepido ſimilis ; frontemque minacem
Arduus oſtentans, parat horrida vulnera cornu.
Circumſtant magno Catuli clamore ; nec audent
Ancipitis propiùs tentare pericula belli.
Si quis erit rudis incauto qui cominus hoſtem
Dente petat ; ſubitâ proſtratus morte, cohortem
Admonet arguto procùl ore laceſſere Cervum,
Atque obſtare fugæ ; noto dum buccina cantu
Optatos ſonet interitus, ſparſamque per agros
Triſtia Venantum vocet ad ſpectacula turmam.
En vitæ mortalis habent quem gaudia finem!
Non tacita ſine triſtitia, morſuque doloris
Percipitur multo quæſita labore voluptas.
Æger enim, vitæ poſitâ ſpe, Cervus inertes
Confugit ad lacrymas ; & flexo poplite, frontem
Arboream demittit humi, vitamque precatus
Suppliciter, triſtes immurmurat ore querelas :
Quo gemitu concuſſi animi miſerantur, & orant
Unanimes tanto vitam indulgere dolori.
Sed neque Venator lacrymis, nec voce movetur
Supplice ; crudeli latus immiſerabilis enſe
Tranſadigit : revolutus humi pede Cervus iniquam
Tundit humum ; vitamque nigro cum ſanguine fundit :
Ah ! duplici ſaltem morti ne trade jacentem ;
Et ſtricto ſit cura Canes removere flagello,
Intima ne lacerent avido præcordia morſu.

Ætati tamen indulge; Catuluſque laborum
Inſcius, & duras rudis inſtituendus ad artes,
Diſcat inexpertâ dulcedine ſanguinis æſtum
Ferre gravem, longo nec deinde fatiſcere curſu.
 Exanimis poſtquam Fera concidit, enſe reciſum,
Tolle pedem; quæ dona manent inſignia Regem,
Aut alium qui de numero præſtantior omni
Adfuerit: ſervata ſibi convivia, plauſtro
Impoſitum Catuli Cervum comitantur ovantes;
Quem magno ſerâ comedant ſub nocte paratu.
 Ante fores Cæſo menſam Venator aperto
Inſtruit: incenſis ardent cœnacula lychnis;
Atque ubi jam ſtructor manibus verſata cruentis
Iliaque & carnes aſpergine ſanguinis atri
Condiit, & toſtis exoſſes frugibus eſcas
Intrivit, domibus fluit ingens turba relictis;
Ut Canibus Jove ſub nudo cœnantibus aſtent.
 Ipſæ adeò decorant epulum, ſtudioque videndi
Stant cupidæ, ſero metuunt nec ab æthere matres.
Mox ubi dulcè ſonans vocat ad convivia cornu,
Audito clangore ruunt; nec pabula morſu
Protinus invadunt, ſueti parere regentum
Imperio Catuli: ſtat turba famelica circùm;
Et longum juſſis ſtationibus hæret in orbem,
Ora tenens defixa cibis, oculoſque voraces
Intuitu paſcens; læto dum buccina ſigno
Expectata canat genialis tempora cœnæ.
 Erumpunt, agilemque levi dant corpore ſaltum
Unà omnes; uno velut impete miles in hoſtem
Irruit, ut primùm Tubicen feralia cornu
Bella canens, movet effuſas in prælia turmas.
Incumbens epulis avidus conviva, palato
Fercula moroſo non ſeligit optima, parcus
Temporis; objectas nec dentibus atterit eſcas:

Sed pleno ſimul ore trahit, ſimul ingerit alvo.
Nec requies, donec menſas nudarit acernas;
Atque hilares mixto vocum det murmure ſaltus.
Hinc nemorum tanto ſatur exardeſcit amore;
Ut cùm deinde toro cœnatus membra reponit,
Sylveſtres repetat Canis inter ſomnia lucos;
Vanaque venandi ſtudio ſimulachra ſecutus,
Allatretque Feras, curſuſque extendat inanes.
Hæc quæ rure ſuper cecini, florentibus olim
Imperii rebus mihi cœpta, jacentibus iiſdem
Interrupta diu ſteterant; cùm totus in unum
Irrueret Regnum bellis ſocialibus orbis;
Itala gens illinc conſurgeret, inde rebellis
Heſperiæ pars magna, ferox hinc Marte Britannus;
Hinc Batavus, junctiſque potens Germania turmis.
Mille locis acies diſtraximus; obruta necdum
Ceſſiſſet numero virtus; niſi peſtifer annus
Arma juvans inimica, famem morboſque tuliſſet;
Et quos non poterat ferro Mors vincere, Gallos
Corrupto Cæli tractu tentaſſet, in unam
Armaſſetque Polum Terraſque & Tartara gentem.
Quæ ſiluere diu Muſæ inter bella, reſumunt
Nunc animum & calamos, ſalvis cùm denique rebus
Major ab immenſis emerſit Gallia damnis;
Et cùm fortunam Lodoix qui nuper acerbam
Infractus tulerat, dulci non ebrius, orbem
Vincere quem poterat fatis felicibus uſus,
Maluit optatâ rurſum componere pace;
Urbibus haud multis redimens ditiſſima Regna
Heſperiæ, & terras Phœbo ſub utroque jacentes
Bellorum quæ finis erat, quæ meta laborum.
Nunc verò Regni luſtris ter quinque peractis
Pluribus inſignem Lauris, pietate ſenectam
Nobilitat, veræque docet virtutis amorem

Quem Puer à Natis Natorum ad Sceptra relictus
Ex Atavo diſcit, Patremque redonat ademptum.
Nos autem domito quos ſæpius orbe fideles
Bellorum ſocios habuit; cùm fata benignis
Ampliùs haud obſtant animis, & in alta quietos
Otia Francigenas tranſmittit; & ubere rerum
Pace beat, quos ad ſummum decus extulit armis.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 21.	*verſu* 23.	per flabilis	*leg.*	perflabilis.
73.	*verſu* 32.	Inrerpuncta.	*leg.*	interpuncta.
94.	*verſu* 15.	decurere	*leg.*	decurrere.
111.	*lineâ* 33.	Orbis	*leg.*	Obris.
113.	*verſu* 18.	infautia	*leg.*	infantia.
169.	*verſu* 27.	perumpit	*leg.*	perrumpit.
214.	*ver. ult.*	graudi.	*leg.*	grandi.
226.	*verſu* 5.	ma lenata	*leg.*	male nata.
240.	*verſu* 28.	clathto	*leg.*	clathro.
242.	*ver. ult.*	poſt ædes.	*dele punctum.*	
246.	*verſu* 23.	nubes.	*leg.*	nubes *ſine puncto.*
256.	*verſu* 30.	fi	*leg.*	ſi.
280.	*verſu* 21.	inferit	*leg.*	inſerit.
303.	*ver. ult,*	poſt mittes	*dele punctum.*	

INDEX RERUM.

A

ABies. p. 100
Acetum. 219, 178
Ædificatio. 15, &c.
Aëris *ſalubritas.* 4 & 13
Æſtas. 132
Ætas *aurea.* 246
Ager *ferax.* 6
Agri *molitio.* 22, 140, 150
Agricolæ *vita fortunata.* 41 &c. 190 *Dictator ab agricola factus.* 130, 271
Agriculturæ *commendatio.* 41 130, 222 *præcepta.* 48
Agni. 72 Allia. 141, 187
Altilia, l. 12. Alvear. 254
Alveus *Regius.* 10, 212
Ambitio. 41
America. 54, 179
Amicitia. 8, 57, 70, 303
Amurca. 120
Amygdala. 108
Anacreon. 209 Anas. 232
Anguilla, 278, 289
De Anima *Brutorum.* 88
Animantum *arma.* 71, 300 *Exempla.* 90 *Induſtria.* 88 *Remedia.* 63, &c.
Anni, *partes quatuor.* 131
Anſer. 232 Aper. 302
APES. l. 14. Apes *ægræ.* 258 *feræ.* 266 *Florilegæ.* 255 *Funerantes.* 257 *Novellæ.* 261 Apum *bella.* 264 *Cellæ.* 256 *Clades.* 263 *Examen.* 261 *Excubiæ.* 258 *Fœtura.* ibid. *Forma.* 256 *Ingenium.* 254 Labores *ruri.* 255 *In alveari.* 256 *Munditia.* 257 *Pulli.* 261 *Apum* REGINA .158 *Ejus forma.* 259 *Imperium.* 258 *Satellitium.* 260 *Partus.* ibid. *Mors.* 258. *Regina junior.* 259, &c.
Apum *reſpublica.* 254
Apianum *vinum.* 211
Apium. 174, 186
AQUA *fontana.* 5 *Fluvialis.* 15 *Gelata.* 165 *Nutrix. plantarum.* 116 *Paluſtris.* 4 *Putealis.* 4, 5 *Rigua.* 172 *Roſacea.* 174 *Saluberrima.* 4 *Retenta molibus.* 11, 275 Aquæ *jactus.* 275 *Aquæ latentis indicia ejuſq; ſcrutatores.* 12
Arator, Aratio. 31, 132, 150
ARBORES. l. 5. & 6. Arbor *fluvialis.* 98 *frugifera.* 100 *inverſa.* 120 *languens.* 120 *ſpoliata frondibus.* 123 *ſubſtituenda.* 9, 101 *ſuccoſior.* 120, 118
Arborum *caſus.* 122, 124 *forma, humanæ ſimilis.* 113 *inſitio.* 102 *luxuries.* 102 *morbi.* l. 6. *ordines.* 96, 97 *putatio.* 109 *ſatio.* 101, 105, 155 *ſuccus.* 118 *varietas.* 94
Arbuſculæ. 36, 93, 123
Area *meſſoria.* 21, 172
Areæ in hortis. 173
Arena. 17
Argumentum. 2, 223, 298

Aries. 73 Armenta. l. 3.
Aſinus. 59
Aſſumptio B. *Virginis.* 143
Aſtronomus. 33, 43
Avaritia. 42 Auceps. 277
AUTUMNI *deſcriptio.* 147

B

Bacchus. 193, 207, 209
Barbus. 291
Bavillæum rus. 29
Bellaqueus fons. 281
Belli *ſimulachrum.* 270
P. Belot, è *Soc. Jeſu.* 26
D. de Belſunce, *Maſſilienſis Epiſc.* 67
Beta. 175 Betulla. 119
D. Bignon. 79
Blitera. 11, 211
Boëmarum *divinatio.* 145
BOMBICES 134, &c.
Bos. 53 Bos *emeritus.* 58 *indomitus.* 55, 305
Boum *amicitia mutua.* 57 *domatio.* 55 *morbi.* 61
Braſſica. 176 Briareus. 194
Bubalus. 304 Bubulcus. 158
Bucolicum *carmen.* 33
Buxus. 99

C

Cæmentum. 17
Cafetum. 216
Calx. 18, 288
CAMPANIA. 24, &c.
Campanulæ *vitreæ.* 185
P. Campiſtron è *Soc. Jeſu.* 26
Canephoræ *fœminæ.* 39
CANIS. 75, 83, 315, &c.
Canicula. 147 Canna. 285
Capparis. 181, 186
Capra. 77, 203 caprarius, 34
Caprea *Sylveſtris.* 304
Capreolus. 303 Capus. 231
Carbo. 23 Caries. 123
Carpa. 280
Carpinus. 96
Carpio 279 Carthuſius. 88
Cafei *confectura.* 69
Caſia. 99 Caſtanea. 108
Caſtor. 285 Catella. 83
Catuli. 85 Cauſidicus. 43
Cauletus *Præſes infulat.* 220
Cavea. 307
Cavum *cuniculi.* 296
Vulpis. 307
Cedrus. 106
CELLA *vinaria.* 207, &c.
Cellæ *Apum.* 256
Cepa. 181, 189
Ceraſus. 109 Ceres. 193
Certamina *ruſtica.* 145, 306
cum feris Tauris. 306
CERVUS. 300, &c.
Cervum venari. 315
Charitatis *martyres.* 65
Choreæ *ruſticæ.* 144
CHORS. l. 12. Chortalium *avium utilitas.* 235
Chriſti *Crux.* 169, 271
Reſurrectio. 169
Cicada. 90, 140
Cicer. 182, 187
Ciconia. 184 Cinara. 181
CIRCUITUS *ſucci.* 114
Ciſterna. 15 Citrus. 107
P. Cleric, è *Soc. Jeſu.* 25
Cœna *agreſtis.* 200
Colles *vitiferi.* 193
COLUMBÆ. l. 13.
Columbarium. 244, 239
Comœdia. 1
Communitas *vitæ.* 269
Conditura *variæ.* 54, 156
Confeſſio. 168
Conſcientia. 188
Convivia. 39 *Ruſtica.* 52, 78, 143, 157, 189
Coriago. 62
Cortex arboris. 104

Corylus.

Corylus. 3. Criſta. 226
Crates *in ſtagno.* 276
Crux *Chriſti.* 169, 271
Crucigeri. 126 Culex. 207
Cucurbita. 176 Culina. 20
Cuniculus. 293, &c.
Cupreſſus. 96 Curculio. 19
Curſonius. 274 Cygnus. 235
Cyprinus, *piſcis.* 280
D
Dama. 304
Delphini *mors.* 138
Dei *cultus.* 48, 174
Democritus. 209 Dido. 235
Diluvium. 213, &c.
Diſciplina *Morum.* 65
Dolii *ſpiramentum.* 218 *Suffitio.* 219 Domus. 6, 16, 18
Druidæ. 126
E
Ebrietas, Ebrius. 209, 214
Elapidandus *ager.* 9
Elegia. 2 Enceladus. 194
Endivia 186 Ennius. 209
Equus. 53. Eruca. 124, 203
Euchariſtia. 168
Eumæus. 41
Exempli *vis.* 37, 57, 277
F
Fabulæ. 273
Factiones *popularium.* 49
Falx *vineatica.* 199 *fænaria.*
137 Fames. 295
Famulorum *delectus* 34, 49
Favorum *conſtructio.* 256
Febris. 44, 61, 114
Feneſtræ. 18, 240
Fertilis *terræ indicia.* 4
Fertilitas *Pyri præcox.* 124
Feſti *dies.* 48, 142, 189
Fiber. 88, 285 Ficus. 106
Fimus. 151 *Columbinus.* 244
Fiſtula. 33 Flabrum. 224
Flos. 174 Flos *ſucciſus.* 287
Flores *Arborum.* 108, 181
Fluvius. 98, 148 *Gelu conſtrictus.* 160, 164
Fodinæ. 15, 23, 192
Fœminæ. 39, 320
Fœnisecium. 137, 150
Fœnile. 139
Fœnum. 139 Fœnus. 43
Fons. 12, 26, 28, 104, 238
Formica. 124, 184, 248
Fortuna. 58, 106, 122
Foſſæ *Caſtellorum.* 276
Leporarii. 294
Foſſio, foſſor. 35, 200
Fovea. 307 Fraga. 177
Fraxinus. 119 Erigus. 163
Frugalitas *priſca.* 60, 182
Fucus. 260, 263, 267
Fulica. 83 Fundamenta. 18
Fundi *delectus.* 3 *Diſtributio.* 22 *Reparatio.* 8
G
Gabianus *fons.* 212
Gallia. 126, 319
Gallina. 227, 230
Gallinarium. 237
Gallus Gallinaceus. 233
Indicus. 234
Gelu. 122, 202
Gigantes. 194
Glacies *æſtati reponenda.* 159
Gluten. 256 Gramen. 132
Grando. 141, 122, 202
Greges. lib. 4. Greges *diſperſiti.* 80 Grex *per nives paſcens.* 159 *pernoctans in agris.* 76, 152
H
Hæreſis. 2, 127, 142
Hamus. 290, 307
Haſta *venditionis.* 35
Hebdomada *major.* 168
Hedera. 124
Herbæ *odoræ* 173 *Medicæ.* 189 Herbarum *vis.* 63, 123

Hinnulus. 301 Hircus. 77
Hirudo *hauſta.* 63
Hirudines *ærarii.* 102
Hirundo. 70 Hiſtriones. 144
Hominis *corpus* 113, 215
Homines *novi.* 106, 122
Hordeum. 141 Horrea. 19
Hortus lib. 9. p. 171
Hortus *bene conſitus.* 30 *incultus.* 28 Horti *poſitio.* 172 *ſepimentum.* 173 Horti *olitorii amœnitas.* 187
Hoſpitalitas. 21, 112, 247
Hyems. 157, 163

I

Japonia. 271 Ibex 304
Ignes *ſubterranei.* 14
Indigeſtus *cibus.* 61, 230
Insitio 102 125, 148
Inſula *è mari orta.* 15
Inſula *cuniculis frequens.* 294
Invocatio. 2 Joci. 20
Irrigatio *arborum.* 116 *hortorum.* 180 *peponum* 185 *pratorum.* 133
Judex, 8, 41, 43
Jugum *Bovis.* 56, 57
Juventus *effœminata.* 308 *effrena.* 275

L

Labor *cuſtos valetudinis.* 42, 188 *Morum.* 38 Labores *Hyberni.* 158, 161, 167, *pluvio tempore* 38, 159
Labyrinthus. 97
Lactuca. 176, 178, 186
Lacrymæ *vitis.* 201
Lamonius. 3, 29, 91, 142, 171, 239, 274, 301
Lana. 77, 137
Lanificium. 79 Laniſta. 131
Larix. 145 Lateres 17
Lavacrum *vitis.* 297
Lecticarii *homines.* 61
Leporarium. 295
Lepus. 84, 88, 203, 221
Libertatis *amor.* 294
Licurgus. 189
Lima, *Urbs Americæ.* 117
Limax. 184, 257
Linea *piſcatoria.* 290
Lites. 8, 41, 42, 49, 188
Loïolidæ. 24, 95, 127, 271
Lucius *piſcis.* 281
Ludovicus *Magnus.* 1, 127, 138, 180, 281, 319
Ludovicus XV. 139, 309
Lunaris *ſuperſtitio.* 183, 198
Lupus. 34, 86, 307
Lutra. 283
Luxus. 39, 60, 150

M

Magnes. 88 Magi. 163
Malus *aurea.* 107 *punica.* 175
Manna. 118
Maſſeracum 238
Maſſilia. 65 D. Maraldi. 254
Mater *pueros alens.* 47
Medici. 7, 93, 188
Mel. 255 Meliphyllon 190
Menſæ *ſecundæ.* 105
Messis. 22, 140 Meſſor. 51
Metamorphoſes. 190, 194, 249, 282, 286, 291
Miles *prædator.* 7, 43 Miles *ab Agricola.* 32, 130, 270
Militiæ *diſciplina.* 270, 308
Milvusi 244, 250
Moletr na. 278
Monſpelium. 24, 66
Mors. 137, 294, 309
Morus 97, 135
P. Mourgues è *Soc. Jeſu.* 27
Mucor. 124 Mula. 59
Mundi *creatio.* 89
Murus *terreus.* 173, 299
Mus-Muſcipula, 183, 134
Muſcus. 124 Myrrha. 118

N

Naſſa. 288 Naufragus. 291
Navigatio. 42
Nidus. 227, 230, 241
Nitrum. 121, 154
Nix, 157, 159, 160
Noëmus. 213 Nubes. 204
NUPTIÆ *Ruſticanæ.* 51
Nux. 108

O

Obris *fluvius.* 111
OLEA. 22, 92, 163
OLITOR. 35, 187
Olivarum *conditura.* 46
OLIVITAS, oleum. 94, 161
OLUS. l. 9. Orator. 26
OVIS. 71 Ovile. 72
Ovum. 226, 228

P

PAGANALIA. 142
Palus. 4, 10, 16, 172
Pampinatio 140, 202
Papilio. 290
PARAGUENSES. 269
PASCHALE *feſtum.* 167
D. Pardo *de Figueroa.* 117
Paſcua. 74, 78
PASTOR. 32, &c. 75, 71
PAVUS. 224 Pax. 78
Peccatum *Originale.* 2, 167
PECORA. lib. III. & IV.
Pedamen *vitis.* 200
PEPO. 185, &c. Perca. 280
Perdix. 84, 149, 303
PESTIS *Boum.* 64
Peſtis *Maſſilienſis.* 65
Pharmaca. 44 Phædra. 235
Philomela. 70, 95, 201
Philoſophus. 43, 89
Phœbus. 208 Picus. 125
PISCATUS. 277, 289
PISCES. lib. XV.
Pituita. 231 Pix. 118
Plagæ *Cœli.* 201, 192
PLANTARUM *delectus.* 106
Satio. 92, 101, 105
Nutrimentum. 114, 197
Reſpiratio. 118
Odium mutuum. 135
Platanus. 120
Pluvia. 15, 204
Pluviæ *impendentis ſigna.* 74
Polus. 101
Pomus. 19, 105, 121
Pontifex *Maximus.* 126
Populus *arbor.* 99
Porcellus. 81, 303
PORCUS. 80, 46
Porticus. 21, 236
PRATA. 9, 22, 133, 137
Priſtera. 249
Propago *Vitis.* 166, 203
Proviſa *in hyemem.* 156
Puella *ruſticana.* 50, 73
PUERI *agreſtis educatio.* 47
PULLI *generatio.* 228
Pulvinus *in hortis.* 179
PUTATIO. 109, 198
Puteus. 5, 172 Pituita. 231
Pyrus. 109

Q

Quadrageſima. 166
Quercus. 96
Quintinius. 179

R

Rabies. 86 Rana. 16, 281
Raphanus. 179, 186
Rapinus. 172
Ravaſinus. 309
Reditus *agrorum.* 5, 22
Repaſtinatio. 201
D. Reſſeguier. 284
D. Riquet. 11
Rivus. 44, 172, 282, 298
Divus Rochus. 65
Rubigo. 140
Rupicapra. 303
Rus *neglectum.* 28, 35, bene

cultum. 29, 40 Ruris *amœnitas.* 148, 210 *Opes.* 149, *tranquillitas.* 222
Ruſticanus *puer.* 48
Ruſticatio. 148, 210
Ruta. 63

S

Sabulum. 17
Salgama. 46, 156 Salix. 98
Sappho. 235, Saturnus. 279
Scabies. 62, 76 Scofra. 80
Scrobes. 100, 101
Seculum *aureum.* 130, 246
Seges. 102, 150, 154
Sementis. Semen. 152, &c.
Seminarium. 100
Senectus. 9, 291
Sericum *filum,* 137
Serpens. 184
Serpentinus lapis. 64
Sol. 89, 180 Spectacula. 144
Spinachia. 176, 178
Spiritus *vini.* 14, 204, 215
Florum. 119
Stabulum. 20
Stagna. lib. XV. p. 273
Stellio. 258 Stercoratio. 151
Sterquilinum. 21
Succus *arborum,* 114, 118
Terræ. 104, 158
Sulcus *aquarius.* 152
Supellex *ruſtica.* 45
Sus. 80, &c. Sylva. 65, &c.
Sylvis parcendum. 23, 94
Sylva *excisa.* 24, &c. 193

T

Taberna *diverſoria.* 21
Talpa. 183 Tarnis fl. 238
Taurus. 305 Taxus. 99
Tempeſtas. 216, 250
Terra *fertilis.* 6 *inculta.* 35
184 *non ſeneſcens.* 9, 129
Terræ *cultus.* 49, 184
Thus. 118 Tilia. 96, 121
Tonitru. 136
Tonſura *Ovium.* 78, 137
Trudiculorum *ludus.* 25
Truta. 182 Tumor. 62

V

Vacca. 54, 67
De Vacuo. 218
Vappa. 204, 219
Vectura. 156, 158
Venæ *arborum.* 116
Venatio. 308, &c.
Ver. 131 Vervex. 76, 81
Vermes. 124 Verſaliæ. 180
Veſpertini *Ruſticorum labores* 20, 159, 161
Via. 5, 7, 97
Vicinitas *Prædii.* 7
Vicinus *bonus & nequam.* 7
Villæ *Situs.* 4, 5, 15
Villa *ruſtica.* 19
Villica. 44, &c. 156
Villicus. 35, &c. 156
Vindemia. 151, 203, 219
Vinum. lib. XI. p. 207
Vipera. 63
Virgilius. 191, 196, 253
Viſceratio, *la curée.* 318
Viſcus, *Gui de Cheſne.* 125
Vitis. lib. X p. 191
Vitulus. 55, 68
Vivarium. lib. XVI. p. 293
Ulyſſes. 41
Umbracula. 96
Volucris. 95, 148, 220
Voluptatis illecebræ. 292
Urbs. 38, 149, 168
Urina Vaccæ, *remedium.* 69
Uva. 45, 204, 206
Vulpes. 237, 307

Z

Zelus *animarum.* 272
Zonæ. 193

FINIS.

APPROBATIO.

Ex mandato Illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii legi *Jacobi Vanierii è Societate Jeſu Prædium Ruſticum*, quod quidem Opus vulgatum antea non ſemel à viris Muſarum amantibus maximo plauſu eſt ſemper exceptum. DATUM Lutet. Pariſ. idib. Novembris anno M. DCC. XLIII.

Joan. Bapt. SOUCHAY, Regius Eloquentiæ Profeſſor.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT: Notre bien amé MARC BORDELET, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire réimprimer & donner au Public, un Livre qui a pour titre, *Jacobi Vanierii Prædium Ruſticum;* s'il nous plaiſoit de lui accorder nos Lettres de Permiſſion pour ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes de faire réimprimer ledit Livre en un ou plusieurs volumes & autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de trois années conſécutives, à compter du jour de la datte des Préſentes. Faiſons défenſes à tous Libraires-Imprimeurs & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance. A la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris dans trois mois de la datte d'icelles. Que la réimpreſſion dudit Livre ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon pa

pier & beaux caractéres, conformément à la feuille imprimée attachée pour modéle ſous le contreſcel des Préſentes. Que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril mil ſept cent vingt-cinq. Qu'avant que de les expoſer en vente l'Imprimé qui aura ſervi de copie à la réimpreſſion dudit Livre ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau Chancelier de France, le tout à peine de nullité des Préſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant ou ſes ayans-cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons qu'à la Copie deſdites Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, foi ſoit ajoutée comme à l'Original : Commandons au Premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution, tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion & nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraire : Car tel eſt notre plaiſir Donné à Paris, le douziéme jour du mois d'Octobre, l'an de grace mil ſept cent quarante-quatre. Et de notre Regne le trentiéme.

Par le Roi en ſon Conſeil. SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre XI. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris N°. 379. fol. 320. conformément aux anciens Réglemens, confirmés par celui du 28 Février 1723. A Paris, le 20. Novembre 1744.

Signé, VINCENT, Syndic.

MAG 2019884



Google

